3 H

ACADEMIÆ CANTABRIGIENSIS ΣΩΣΤΡΑ.

Sive,

Ad

CAROLUM II

reducem,

De Regnis ipsi, Musis per ipsum feliciter restitutis

GRATULATIO.

CANTABRIGIÆ,
Excudebat *Joannes Field*, celeberrimæ Academiæ Typographus. 1660.

July. 10.

BRITISH MUSEUM

Ad Serenissimum

CAROLUM II,

Angliæ, Scotiæ, Franciæ, & Hiberniæ *Regem*,
Fidei Defensorem, &c.

ACcipias humiles (*Rex Augustissime*) Musas,
Quas Tibi Grantigenæ porrigit unda *Cami*.
Accipe, sed vultu quo nos aspexeris olim,
Quum placuit nostram nobilitare togam:
Quâ Tu fronte beas *Anglos*, cœlúmque serenas,
Et populo lætos promis ab axe dies.
En proreptantes tristi de nocte Sorores,
Ut possint *Phœbo* Te propiore frui.
Tu placido aspectu faveas, nil amplius optant,
Illæ etenim vultu stántque cadúntque Tuo.
Ecce triumphalem nectit Tibi Musa coronam,
Imponítque Tuis officiosa comis.
Erepta accipitri dulcis Philomela triumphat,
Gratum *Soteri* & fundit ab ore melos. (rent,
Harpyiarum ungues cùm nos jam jámque tene-
Cæsar ades vindex; hinc Tibi ΣΩΤΡΑ damus.
Carole Tu redimis Musas, ornásque redemptas;
Sic pulchrè munus protegis ipse Tuum.
Carole vive diu, cœlorum cura, Tuíque
Deliciæ populi, *Carole vive diu*.

Guil. Dillingham, S. T. D. Academiæ Procan.
Coll. Emman. Præf.

ΣΩ̃ΣΤΡΑ *Cantabrigiensia*

Ad Augustissimum Regem nostrum CAROLUM II, *felicissimè reducem.*

TAle tuus reditus nobis, divine Monarcha,
Quale sopor fessis, libertas carcere clausis.
Ut lux post longas oritur magè grata tenebras,
Sic tu, *Car'le*, tuis gratissimus advena terris.
Dum tu Sol aberas, quantâ caligine mersi,
Et quamvìs *minimâ contenti nocte Britanni*,
Quàm densis tenebris, & longâ nocte sepulti!
Cùm tu Sol oreris, *sunt omnia protinus alba*,
Lux & Pax redeunt, terrásque *Astræa* revisit.
At Tu, Sol oriens, infanti parce Camœnæ;
Debilis ad tantam lucem caligat ocellus:
Noctua, Athenarum nigra quæ degit in umbra,
Tam rutilum jubar haud tolerat, radiósque micantes;
Sed quod ferre nequit, supplex hoc lumen adorat.

Antonius, Comes Cantii,
Coll. Trin.

QUis Deus orbem iterum nascentem Erebóq; chaóque
Evocat? aut mundnm quis sociavit Amor?
Quis cœlum discordi iterum secrevit abysso?
Quæ liquidum incendit purior aura diem?
Carole, Te veniente, en formosissimus orbis
Ut vivo passim lucet amore sui!
Incipit ut blandis volvi concentibus æther!
Et, Mars, harmoniam vel tuus orbis amat.
O diris nox æternis damnanda, secuta est
Quæ Patris occasum, Carole magne, tui!

Tum

ad Carolum II *reducem.*

Tum ruituro orbi poterant timuisse videri
  Sidereæ veluti lucè tremente faces:
At quà Tu splendescis amabilis ore verendo,
  Rursus amicitiâ, fœdere, pace ligas.
Lætitiâ natura suâ jam pæne laborat:
  Jam nos solus habet scilicet ille timor,
Nè campi, sylvæque ruant, urbésque domúsque,
  Omnia, in occursum præcipitata Tuum;
Hæc nè excussa iterum ruat Insula sedibus imis;
  Mundus in amplexus nè ruat ipse Tuos.

Henricus Noel, filius natu minor Baptistæ Vicecom. de Campden, Coll. Trin.

SUrgite desuetæ multúmque in carmina vires
Effœtæ; senium, senióque nocentior atra
Quas fregit bilis, tumidi laniena lienis.
  Non jam exosa piis perjuráque dicimus arma,
Arma Giganteo ausu ipsi minitantia cœlo;
Queis pietas, cultúsque Dei, quibus omnia Sacra,
Prostrata; & pedibus sunt conculcata profanis.
Non canimus fraudésve Ducum, populíve furores
In Patriam, Patriæque Patrem: bella, horrida bella;
Bella per Angliacas plusquam lethalia terras;
Júsque datum sceleri: sceleri præque omnibus uni,
Quod stupet attonitus Pluto; quod Cerberus ipse,
Cernere cùm nollet, trepidus tria condidit ora:
Quódque animus meminisse horret. Sed parciùs ista:
Execror & taceo, ——————

Nam

Nam maculare nefas præsentia gaudia Diris
Præteritis: Orci jaceant damnata tenebris
Proditio, larvata fides, sceleratus habendi
Et vesanus amor, cædis furiosa cupido,
Et libertatis fuco malè tecta tyrannis.
Impensis sapiant nostris, nostrisque ruinis
Discant mortales summum nec temnere Numen;
Nec Regum violare, Deo confinia summo
Jura; sed ad Legum normam submittere colla,
Effigiémque Dei divino in Rege vereri.
Ergo tuam proni veneramur, Magne, Coronam,
Carole; quem meritum, quem jus, quem vota piorum
Ad patrias sedes, ad avitáque Sceptra vocârunt
Jamdudum. At frustra multúmque diûque vocamus:
Nostris incensus vitiis obsurduit Æther,
Insons Túque luis populi peccata merentis:
Extorris patriâ, ínque alienis finibus exul;
Hanc modò, mox aliam, ah miserum! jactaris in Aulam;
Omnibus exutus, pietatem præter & altam
Mentem: quam nulli poterant aut frangere casus
Fortunæ, aut meritam ulla injuria (cernite, sævi,
Et pudeat vestrî) in vindictam accendere. Tantus,
Tantus & ingratæ patriæ, patriæque rebellis
Hæsit amor Regi. Tu non ultoribus armis,
Non ferro, flammáque venis tua justa reposcens,
Viribus externis cinctus, quas hospes Iberus,
Quas alii properant Reges Tibi fundere densis
Agminibus; Commune malum restinguere prompti,
Usque nè inauditi sceleris contagio serpat.
Sed (quæ mira Tibi parque est clementia cœlo)
Tu placidus mitisque reos prævertis, & ultro
Indulges veniam, pacémque volentibus offers:

Pœni-

Pœnituiſſe Tibi ſatis eſt; vindicta, fateri.
Nobile vincendi genus, ársque eſt vera domandi,
Fundere cùm poſſis, ſuffundi malle pudore,
Sanguinem; & infigi ſoli pia vulnera cordi.
Vulnera, quæ ſanant animas; & corpora præſtant
Tuta; quibus vitium cadit, at perſona piatur.
Carole, Tu victor ſine ſanguine, jure triumphas;
Tótque triumphales currus, quot corda tuorum:
Quælibet imponit Victori lingua Coronam.
Sic vinci gaudent victi, nupérque rebelles
Ecce triumphales tollunt jam ad ſidera voces,
Carolus ecce redit, Regni tutela ſalúſque:
Carolus ecce redit, Pietatis cultor avitæ:
Carolus ecce redit, Leges Pacémque reducit:
Carolus ecce redit, Norma & virtutis imago:
Carolus ecce redit, Muſarum magnus Apollo:
Carolus ecce redit, tandem eſt clementia victrix.

Sunt tria Regna Tibi, populorum hæc vox tamen una,
Carole ſume Tibi, proſtratas ſume Coronas,
Quas Tibi ſupplicibus tendunt tria Regna lacertis.
Non propriâ, ſed luce Tuâ diademata fulgent,
Et radiant gemmæ percepto lumine Solis.
Te ſine, non precium eſt auro, non ulla lapillis
Gloria; & ipſa ſibi ſordent inſignia Regni.
Da modò, da facilis Tua cingant tempora, Princeps,
Tum vel Cæſareas vincent fulgore Coronas,
Vel triplicem, tumuit quâ tantùm Roma, tiaram.
Carole ſume Tibi, proſtratas ſume Coronas,
Quas Tibi ſupplicibus tendunt tria Regna lacertis.
Jus Tibi Regnorum Deus & Natura dederunt
Hoc priùs: Ecce novum Tibi jus Clementia præbet

Victrix. Ignoscendo probas Patriæ esse Parentem
Te. Tua dum tenerescunt viscera, viscera nobis
In Regem paritérque pudore & amore liquescunt.
Indè catervatim ruimus tam noxia turba
Quàm insons: Quisque libens gaudet se volvere ad aras,
Adque tuos jacuisse pedes hæc ambitio una est.
Bella, simultates, rixæ, genus omne facessit
Dissidii: una manet junctos contentio Cives,
Carole, Quis poterit Regi officiosior esse.
Hinc Cœlum precibus noctésque diésque fatigant,
Carolus ut vivat felix, regnétque beatus.

Ri. Love, M^r. Coll. Corp. Christi,
& illustrissimæ Dominæ Margaretæ
Professor Theologicus.

Mars, puer, Alecto, virgo, vulpes, leo, nullus,
Sic cecinit quidam deceptus imagine vates,
Vel Dæmon potiùs, qui *vulpis* nomine Regem
Pacificum asperfit, sec'líq; sui Solomonem,
Alterum item Mosen, sævi feritate leonis;
Quódq; animus meminisse horret, luctúq; refugit,
Hujus ob ingenium prædixit, credo, Monarchas
Haud alios illo regna hæc habitura perempto;
Occidit hinc Carolus, sed & augurio excidit alter;
Veriùs & cecinit memorandi carminis autor,
Carolus Anglorum gestabit sceptra secundus.
Arbiter hoc mundi statuit, gaudemus & ipso
Nunc sceptrum gestante, licèt fanatica turba
Frendeat hinc, illinc, & nobis gaudia tanta
Invideat; vanóque fremat licèt usq; tumultu,

Interiora micent nobis, atque exteriora
Ipsum hoc testentur, nec non speranda precemur
Dilecto Regi; præcellat longa Priorum
Stemmata; Postgenitis præeat virtute, Patríque
Sit soli (ut solio sic &) pietate secundus,
Regna triumphabunt Carolo sic terna secundo.

Jámque animus fuit hîc metam posuisse, sed impar
Carminis obstabat numerus; Deus impare gaudet
Interdum numero, sed nunc pare, nempe secundo;
Ergò fluant paribus numeris ut carmina nostrum
Insuper addidimus votum hoc; pare Carolus esto
Conjugio felix, ut nunquam de Carolina
Deficiat germen vernans radice, beatos
Quod faciat Scotos, Hibernos, Angligenásque,
Occupet & solium, & gestet diadema Britannum.

R. M. S. C. M.

DEponat pullam jam læta Britannia vestem.
Depectátque comas, tandem desueta resumat
Gaudia, & intranti exultans eat obvia Regi.
Qualis ubi Ægæos emensus navita fluctus
Post tristes hyemes, & mille pericula Ponti,
Præteritos agitans sedatâ mente labores,
Lætanter patriam fospes veneratur arenam.
Talis gens Britonum dubiis agitata procellis,
Et jactata diu, Carolo veniente recepit
Spésque animósque suos; & verso cardine rerum,
Tantorum meminit gaudens plaudénsque dolorum.

Omnia jam pleno torrente invaſerat error,
Nec ſacra jam Themidos, nec magni juſſa Tonantis
Seryabat populus, nec quid ſit fásve piúmve
Curabat, ſpoliis inhiabat miles opimis,
Direpturus opes Sacras; Lymphatáque cunctis
Turba minabatur; Tu nobis numine dextro
Tu deploratis aderas ſpes unica rebus.
At Tu qui gemitus audîſti, & vota tuorum,
Qui Regem regnis, & Regi regna dediſti,
Illius intacto cingas diademate crines,
Faxis cognatum repetat grandævus Olympum,
Et longùm vigeant, Carolo regnante, Britanni.

M. Tuckney. S. Theologiæ
Prof. Regius, & C. S. Joann.
Evangeliſtæ Præfectus.

SIc tandem, Rex Magne, redis, properásque recurſu
Sperato Populum conciliare tuum.
Nec poteras aliter; cùm turbida cuncta fuiſſent,
Téque abſente diu turbidiora forent.
Aſpicis ut nigram radiis clariſſima noctem
Subſequitur tenebras Sole fugante Dies;
Aut veluti duram vehementi frigore Brumam
Suſcipiunt molles Vere ſequente vices;
Sic tua compoſitis Præſentia, *Carole*, rebus
Promittit longas alleviare moras;
Et dare ſedatis poſt anxia fata procellis
Poſſimus portu commodiore frui.

Quódque

Quódque magìs gratum eſt, nec præveniente Tumultu,
Sanguine nec tinctâ ſive cruore viâ.
Nil Armis opus eſt; ſiccos celebrare Triumphos,
Principis ingenii nobilioris erat.
Et Populi ingenui reſonanti voce *BRITANNI*
Protenus obſequio ſponte redire ſuo.
Innuis, & ſatìs eſt. Dum porrigis undique Sceptrum,
GENS colit admotis officioſa labris.
Si ſpectas *natale ſolum*, ſic *Anglia PRIMUM*
Te meritò *Carolum* jactat habere ſuum:
Si junctum *Imperium*, ex Anglis Scotísque, *Secundum*;
Spero & felici *ſorte SECUNDUS* eris.

Tho. Horton, Coll. Regin. Præſes.

CArole vive diu. Quæ ſunt primordia *Vitæ*
Sunt pleni *Imperii* Tempora prima Tui.
Menſis erat *Maius* quem Tu *naſcendo* beâſſe
Diceris, & roſeis condecorâſſe genis.
Et *Maius triplicem* plectit Tibi jure *Coronam*,
Mittit & in certas *Anglica* Sceptra manus.
Natus es ad ſolium; Tibi quod *NATURA* paravit,
Æmula naturæ *SORS* imitando dedit.
Ut Ver eſt *Anni*, ſic Ver eſt denique *Regni*,
Tam bene conveniunt Tempora Temporibus.

B. Whichcot, Coll. Regal. Pr. S. T. D.

Σῶστρα *Cantabrigienſia*

קינה ותושבחא

In Sereniſſimi CAROLI I *infandum parricidium Threnodia: & de Auſpicatiſſimo* CAROLI II *reditu Gratulatio.*

א ל יאיר ממעל שמשא
בקר תיום נברח בו
כחלוס מחמר כל אנגליים
אך על בשרת יסתר ראשו
ישכן עמן גם צלמות
עליו אפל יקחהו
יאבר היום מימי שנה
בטן לילה תבלעהו
אין קול חתן אין קול כלה
אין קול ששון עוד נשמע בו
חך חנורי שקים יבכו
דמעות כנחל יוריד
מאז תמארת אלביון
השליך משמים ארץ
כהומול אשר חנביר חמס
גם הם נקיא לשפוך פרץ
כל חוזינו היו אפס
עלינו נטרה קו תוהו
במקום שרים עם חארץ
כל אבנינו אבני בוהו
זבחו לאל זבח תורה

ad Carolum II *reducem.*

אשר צמח צדיק הקים
כרלוס השני הוא כמטר
יורד על גז הוא כרביבים
זרזיף ארץ זבחו לאל
אשר השיב שיבתנו
גם הביא אל היבשות
רוח חיים עצמותינו
יהן בשר גם עור הלביש
יכין אל כסאו עד עולם
כי ישכב על עפר תחתיו
אז ימלוך זרעו דור דורים:

R. Cudworth, S. T. D.
Coll. Christi Cust.

HActenus ad Populum phaleras, aut verba jubemur
Ad placitum duri fundere inepta *Ducis*:
Sæpe etiam gemitus, & quæ mala cunque Tyranni
Arbitrium expressit, non pietatis amor.
Donec enim studiis impendit lethifer ensis,
Pugnabant animo frónsque, manúsque suo:
Quo non disparilem Dominum poppysmate, quo non
Mulcemus pestem carmine, ne noceat?
Dúmque ità blandimur, nos deseruêre Camœnæ,
Pectora Pierio nec caluêre Deo:
Carolus est, sempérque fuit, cui serviet Uni
Doctrinæ Musis quicquid, & artis inest:
Sceptra geret solus, cui soli ad Sceptra præivit
Et decus, & laudum luxuriosa cohors.
O mihi si faciles irent in carmina vires!
Dum patet in plausus area tanta meos:

Ille

Ille Pater Patriæ, legum veneranda poteſtas,
Ille novem, & centum Regibus ortus Avis:
Qui ſimul ad Regnum direxit Carbaſa avitum,
Quanta animos hominum ſollicitudo premit!
Si fremuêre modò vocali murmure venti,
Naufragii metus eſt; ſi poſuêre, moræ:
In votis quoties, ut nunc inſibilet Eurus,
Ut levis Auguſtam ventilet aura ratem:
Nempe Deum triplex uno Gens ore fatigat,
Ut Regi tutum per mare præſtet iter.
Carole, cur hæres? exit feralis *Enyo*,
Angliáque imperio tota ſubacta tuo eſt:
Verte peregrinas tua fulmina Victor in Arces,
Aut ubi tam ſancti nominis Hoſtis agit;
Non opus hìc armis; fruſtrà diſtrinxeris enſem
Carole, qui ſolâ vincere voce potes:
Subſidit rabies, abiit fanaticus error,
Vim furor, & fraudes depoſuêre ſuam:
Nunc ætas, nunc Ordo omnis vitámque, ſalutémque
Unius tantùm poſcit ab imperio.
En Te, (quæ niſi Te, nullo ſecura Parente eſt)
Deſolata diu Patria tota vocat:
Quæ niſi Te, nullo eſt Eccleſia tuta Patrono,
Prolixè ingeminat *Carole* Magne redi;
Quæ niſi Te, nullo ſe jactat Apolline *Granta*,
Carole conclamat *Granta* ſecunde veni;
Nec ſic triſte caput jactura domeſtica fregit,
Præreptúmque decus Gentis, amórque meæ,
Gaudia quin gemitus inter ludentia crebros
Si pote, noſtra etiam publica vota juvent.

Radulphus Widdrington Coll. Chriſt.
Academiæ Cantabrigienſis *Orator.*

Ad

Ad Regem de reditu ſuo auſpicatiſsimo.

QUæ patriæ reddit Te (Rex clariſſime) ſacra,
Et natalitia eſt hæc mihi viſa dies ;
Inſtar veris enim appares poſt frigora brumæ,
Et nova vivificum ſpargis in arva jubar.
Queîs fugiens luctum intuleras, noctémque profundam,
Gaudia jam rediens lucidiora facis.
Qualiter apparens poſt triſtia nubila Phœbus
Splendidius læto fundit ab ore jubar :
Sic Tu funeſti rediens poſt tempora belli,
Gratior in noſtro quàm priùs orbe micas.
Si mora Te à noſtris tenuiſſet longior oris,
Senſiſſet funus patria terra ſuum.
Haud ſecus ac quaſſata ſuo fundamine tecta,
Et capite amiſſo membra ſoluta ruunt.
Sed nè funebri ſuccumberet Anglia bello
Feciſti reditu (Carole magne) tuo.

Ergò, vah gemitus, vah querimoniæ,
Vah ſalſæ lacrymæ, neſcia triſtium
Ridens muſa canat læta poemata
Rerum præſide CAROLO.

Triſtes abjiciat Melpomene modos,
Nec fœdet madidis gaudia lacrymis,
Sed dulci citharâ carmina dividat
Rerum præſide CAROLO.

Veſtes coccineas jam ſoror utraque
Geſtet, Granta ſuas, Oxonium ſuas,
Et ducant choreas ad ſtrepitum lyræ,
Rerum præſide CAROLO.

Jam dulces modulos fiſtula perſonet,
Jam pulſata procul tympana detonent,
Et clangant ſtrepitu rauciſono tubæ,
Rerum præſide CAROLO.

Omni nunc hilares ſepoſito metu
Plebs conferta ſonos undique proferat,
Et longas celebres Anglia ferias,
Rerum præſide CAROLO.

Theoph. Dillingham, S.T.D. Aul. Clar. Præf.

QUàm placet Arctois populis Sol lumine verno,
Cùm primo niveam corpore lambit humum;
Semeſtrem ſolvens noctem, tenebrásque tenaces,
Concretam glaciem, lethiferúmque gelu:
Quámque juvat nautam nimboſo turbine feſſum
Portus, cùm ſaceram vix regit arte ratem:
Tam grato reditu nobis ades, optimè Regum,
Poſt infelicis tædia longa moræ;
Queis foedæ noctis ſpecies, & ſqualidus horror
Inſedit, lætos eripuítque dies.
Tu ſimul ac noſtro præſentior orbe refulges,
Diffugiunt tenebræ, Carole, luce novâ;
Ecce horas, nullâ temeratas nube, ſerenas!
En placidos Soles, candidiúsque jubar!
Jámque ratem, ſævis modò quæ jactata procellis,
Felix portus habet, portum habet alma quies.
Aſpice præſenti *lætentur ut omnia ſæclo*,
Inque alacres plauſus Anglia tota ruat,
Ut Genti nova ſit facies, feſtiva genarum
Purpura quàm clarè gaudia noſtra probet.

Vive,

Vive, Tuo felix felicia regna gubernans
Numine, Téque suo dirigat ipse Deus:
Quæque, diu votis adversa, huc sera vocârunt,
Te sera ad Superos, Carole, fata vocent.

J. Worthington, S.T.D. Coll. Jes. Præs.

HOc tandem tua nos docuit patientia victrix,
Nostra tot hoc tandem nos docuêre mala:
Posse carere tribus te, Rex ter maxime, Regnis;
At te non possunt Regna carere tria.

Gulielmus Moses, Aul. Pemb. Præfect.

CUra levis loquitur; stupet ingens!
Vive Deo gratus Carole, Vive pius.

H. Masterson.

ERgóne felicem, infortunatissime Princeps,
Te sævæ violare manus, ensésque nefandi,
Ut tanquam è patrio proles rediviva sepulchro
Clarior exurgat; natúsque ea sceptra rogatus
Suscipiat quæ Patris erant, Patri, Patriæq;
Per scelus horrendum perjuráque pectora dempta?
Sic tu, summe Deus, tu qui potes omnia, tales
Conatus hominum infandos, sceleratáque cordis
Consilia in melius referes, aut irrita reddes.
Nos laudes celebrando tuas dicemus ovantes,
A Domino hoc factum est, oculis mirabile nostris.
Obstupeo hæc referens: quasi somnia noctis opacæ
Ducimus hæc eadem clarâ quæ luce videmus.

Ambiguus variúſque inter contraria volvor;
Quid facerem potiùs; vel quò me vertere poſſem:
An ſcelus exagitem dictis? atrocia facta
Devoveam diris meritis, pro talibus auſis?
An potiùs ſurſum aſpiciens & corde levato
Ad cœlum, laudes canere, & tibi ſolvere vota
Aggrediar, Pater omnipotens? hoc, hoc mihi ſummo
Incumbit ſtudio: cædes ſceleratáque facta,
Tartareas ſubitura domos, Stygiáſque paludes,
Et ſileo, atque imâ cupio caligine tecta;
At tibi quid referam, Deus optime? vota precéſque
Cum lacrymis fudiſſe juvat, multóſque per annos
Pœnarum exhauſtum ſatis eſt; jam cingere myrto
Tempora, tempus adeſt; luctúſque in gaudia ſolvi.
Neglecta innumeris fument altaria donis,
Templorúmque aditus ſtrepitu reſonare canoro
Incipiant, vocéſque homines ad ſidera tollant.
Sed quis ego incautus? jam me non eſſe poetam
Sentio, qui infelix oneri ſuccumbere conor
Materiâ minor ipſe meâ, nec verba ſuperſunt.
Hoc faciant alii, ſiquis tamen hæc quoque ſiquis
Non minuenda ſuo ſperat conamine, nempe
Facta fidem ſuperant, quæ, cùm proferre loquendo
Non valeam, tacito gratóque in corde revolvam.
Præteriiſſe tamen te, te Venerande Strategę,
Quis ferat? haud dictis tua facta æquare canendo
Me penes; admirans ſolùm tibi geſtio gratus
Eſſe, nec eſſe queo: meritis tibi ſolvere digna
Non opis eſſe meæ fateor, nec quicquid ubique eſt
Angliacæ Gentis, diverſa per æquora ſparſæ.
Tu revocas cultúmque Dei, patriæque reducis
Exilio pulſos cives, proceréſque merentes.

Jura

Jura paterna diu per fâsque nefâsque sepulta
Restituis: tibi nos omnes debere fatemur
Et regem, & regnum: faxit Deus optimus, oro,
Hoc felix faustumque tibi: regique reducto,
Cùm terrâ innumeros regnando impleverit annos
Et populi, patriæque salus, & gloria mundi,
Concedat cœlo regnum post fata perenne:
Interea maneant laudes & splendida vestra
Facta simul totum passim celebrata per orbem,
Ultima dum cœlo & terris accesserit hora.

Sam. Wotton, S. T. D. Coll. Regal. quondam Soc.

QUod natura diu dederat, quod patria jura,
Obtulit en fors hoc, Carole, læta tibi;
Ut possit Regem victorem agnoscere, nuper
Excusso alterius terra Britanna jugo.
At non sanguineis volitat victoria pennis,
Plùs tibi, quæ fuerit viliùs emptà, placet.
Luges tu patriæ bella, horrida bella, ruinis
Obruta, proh superi! quàm propè regna suis.
Nunc tamen Alcedo placidis allabitur alis,
Aurea perpetuos pax habitura dies.
Cui porrò tantùm debes, dic Anglia, munus?
Anglia, quo tandem vindice facta tua es?
Hic superûm favor est, contraria fata rependunt
Jam tibi muneribus Numina amica suis;
Scilicet ut possit tua fors non æqua probare,
Carole, quàm fueris *chara Deûm soboles.*

Fran. Glisson, Regius Med. Professor. Aul. Trin.

CAROLE Divorum ſoboles; Rex, Lúxq; Decúſq;
Spéſque Britannorum: per tot diſcrimina vitæ
Quem cœli geniis immiſcet plurima virtus,
Et Majeſtati ſociata modeſtia frontis:
Te decet Euboici tranſcendere pulveris annos!
Advolet illa dies gremio quæ reddat & ulnis,
Languenti PATRIÆ reducem REGEMque PATREMque!
Vive, vige, flore felix! Tibi militet æther!
Aligeri juvenes valido firmamine juſſi
Te tutum manibus geſtent; neu durior ictu
Te lapis offendat; creperis néve unda procellis.
O vitæ mortíſque bonus duit Induperator!
Is caput Auguſtum Tibi cœlitus obtegat umbrâ,
Fortunæ quoties furiatæ incandeat æſtus!
Id fiet. Scio; JOVA ſuos tutabitur unctos.
Et Typus eſt Princeps, & Imago animata JEHOVÆ.

Devotæ mentis ergò Precabar Joh. Francius,

Med. D. Coll. Sti Petri.

QUò trahis? aut quorſum reprimis me muſa? quid angit?
Nil eſt quod metuas, non jam cum vepribus actum;
Non minitat ſpinus, greſſum non impedit ullus;
Nec rubus irretita dabit tibi metrica ſerpens;
Non opus ambage, aut quocunque ænigmate tecta
Incedas pavidé; patet en tibi campus amœnus!
Omnia quàm vernant, mirum eſt: Quis *Georgicus* ille?
Numine quo afflatus? quoties quotiéſque beandus?
Qui Devoniacè combuſto cæſpite verſo,
Incinerata dedit, ſiqua & priùs hiſpida, tetra,

Tam

Tam ſubitò omnigenas in Floræ quàm bene cocta
Delicias: colles pariter quoſcunque tumentes
Arte humiles fecit; nullo ſtrepitante tumultu.
Sive chorum ducas, varias nectásve coronas,
Quælibet hîc impunè legas licet, atque facultas
Ecce tuos conceſſa modos ornare canoros.
Nec jam Sejani quævis ſuſcepta canemus
Solliciti, juſtum nè cadat dum magna colamus:
Aſtræam celebrans reducem mens geſtit ovare;
E Carolo Carolum vellem, nulli æquiparandum;
Pompilium memores juſtum licèt ac ſapientem,
Romuleis charum, multísque è millibus unum,
Ad rerum regimen traxerunt quem renuentem;
Agnoſco rarum, quale inter munera Veſtæ
Hungaricum callens mineras reputaverit aurum;
Cœlitùs at nos donatum jactamus obryzum,
Furno purgatum toties, totiésque probatum:
Imperio natum loquimur, ſuperadde renatum,
Non factum populi, at votum quoties iteratum:
Jus etenim, lex, libertas rediviva, ſalúsque
Amandata diu, ſerò tandèmque reverſa,
Hoc uno incolumi (Æterno laus) tuta ſuperſunt.
At magnum dixiſſe minus, niſi jungeret ipſe
Mitem, longanimem, (expertis credas) patientem:
Naufragium paſſo non illi plurima curæ,
Quò magìs illibata manent in pectore ſarta
Tectáque, quæ patriæ ſervat, quæ coelitùs hauſit
Munera, nec non relligio intemerata ſuperſtes.
Siſte parùm: auſculta: ſtrepitus quis perſorat aures?
Non procul eſt: properes, reliquásq; accerſe ſorores;
Sternantur violísque viæ; donísque coronam
E veſtris alacres citiùs ſubitóque paretis

Pro-

Pro candore ſuo, quo pollet, gratus habebit,
Uniſonè demum penetrantes aſtra ſonetis,
Vivat, vivat in æternum Rex CAROLUS.

Jo. Pratt, D. M. Coll. Trin. S. S.

In Auguſtiſſimi Sereniſſimiq; Regis CAROLI II,
exoptatiſſimum feliciſſimúmque in
Angliam *reditum.*

OQuàm diſſimili vertuntur cardine leges
Cœlorum & terræ! O quantùm ſeſe improba fallit
Neſcia gens humana Dei, ac ignara futuri!
Quis fauſtam hanc rerum faciem ſperare vel auſus?
Aut quis non expes ſecum hæc ſuſpiria duxit?
Sanguinis heu quantum reſtat quem exhauriet enſis?
Heu! quando Deus ultor ades, telóque trabali
Transfodis hæc monſtra, aut tellus in viſcera condit?
Sic gemuit moribunda, manus ad ſydera tendens
Anglia, quæ quondam auguſtâ redemita coronâ;
Nunc verò horrendùm laceris paſsísque capillis
Et pullata ſedens, ſingultibus aſtra laceſsit,
Ingrati, heu, impunè vorant ſic viſcera, nati.
Sed Deus è cœlo, cùm jam vix vita ſuperſtes,
Ipſe Deus dextram morienti extendit amicam,
Nec mora præcipitem Enceladum detruſit, & Ætnâ
Impoſitâ, captantem ſceptra Typhoea turmis
Exuit, Harpyiásque truces deluſit hiantes,
Faucibus eripuítque bolum, certúmque triumphum.
Nec Deus hæc ſolùm, ſed quod miremur in ævum,
Compoſuit tantas ſine cæde & ſanguine lites,

O,

O, precor, irarum cauſas & ſemina tollat.
At Caroli Magni ſobolem, per luſtra tot, aris
Atque focis pulſam, poſt fundamentáque regni
Tam miſerè ſubverſa & complanata, videre
Regali indutam trabeâ, ſolióque ſedentem,
Quis vel ſperavit, vel quis jam credere poſſit?
Sed tu qui ventos, fluctus, rabidósque leones
Imperio premis, Omnipotens, tu Regis inermis
Exaudis voces, tu decollata reducis
Sceptra, tyrannorum genus extirpásq; nefandum,
Qui licet ad tempus regnent, te judice, tandem
Inferno, cœlo, ac terræ ludibria debent.
Hinc datur afflictis meliùs confidere rebus,
Hinc populi denſis glomerantur compita turmis.
Ecce venit tandem longum expectatus, & olim
Conclamatus, adeſt, ter maxima cura Tonantis.
Ecce redit ſalvus patriis, qui extorris ab oris,
Nudus, inópsq; latens, ſine nomine, murice, ſceptro,
Multa, diúque tulit, quæ vel recitare pigebit,
Externas inter gentes, ignota peragrans,
Multa domíque tulit, quæ vel meminiſſe pudebit.
Bis ſeptem æſtates jam jam vertuntur, & ultrá,
Ex quo depulſus propriis è finibus iſtam
Tam duram ſubiit ſortem, triſtéſque procellas,
Qui quondam & meritò triplicis ſpes unica regni
Deliciúmque fuit gentis, Princépſque juventæ,
Atque aſtris charus; cujus natalibus, album
Effulſiſſe die medio, faciéque coruſcâ
Narratur ſydus, (forſan, nè territus illis
Obſcuris cœlorum ambagibus, & recidivâ
Fortunâ perculſus; iners deſciſceret orbis.)
Sed tandem rediit patriæ Pater atque Triumphus,

Per mare, per terras, per tot diſcrimina rerum,
Angliam ad Angligenas portans, redivivâque fata.
Regis enim auſpiciis, ſpes eſt, furor omnis abibit
In Styga delumbis, devinctus colla catenis;
Torváque ſuſpicio, & metus ater, & ira peribunt,
Teſſeráque & nomen Sectarum & ſymbola dira.
Ut ſic conjunctis dextris coeamus in unum
Tros Tyriúsque, illi nullo diſcrimine habendi.
Sic Pudor, & Pietas, Verúmque, Fidésque redibunt,
Sic Amor accendet pectus, divinus & Ardor,
Sic Pax inviſet terras & Candor avitus,
Charáque Libertas, quæ nunquam gratior extat
Quàm ſub Rege pio, nunquam magis aurea ſæc'la.
Nos igitur flexo modulemur poplite grates,
Jubiláque Æterno demus, qui ſceptra tuetur,
Qui mollit, flectítque animos, & temperat iras.
Húncque diem læti, quo nunquam emerſit ab Ortu
Lætior, Anglorum, celebremus, quicquid ubique eſt
Per mare, per terras ſparſum, nec triſtis Ierna
Deploret natos hodie, nec ſæva minaces
Induat aut vultus aut mentes Scotia, cantent
Orcades, & Thule, & disjunctior India cantet,
Cantet iô Pæan, Nereúsque celeuſmate plaudat;
Plaudat uterque polus, reſonétque boatibus orbis.

M. Barlow, Coll. Regal. Soc. M. D.

BElla ſonent alii, Sophocleo digna cothurno,
Atque ſacro patrium pingue cruore ſolum.
Dum meliora cano, dum mens altiſſima ſpirans
Gratatur reditum, Carole magne, Tuum.

Non

ad Carolum II *reducem.*

Non ego fatidicum modulantem carmina Phœbum
Invoco, non Muſas, aut Heliconis aquas.
Major agat Phœbus, melior mihi carminis Author,
Auſpiciis vatem qui medicúmque facit.
Ocyùs affer opem, patriæ ſpes unica reſtas,
A capite ad calcem languida tota jacet.
En ſqualent crines, cerebrum vertigo rotundat,
Fluctuat ingenti triſte dolore caput.
En caligantes oculi, queis lumen ademptum,
Inque genis cavitas, exul & ore rubor.
En odiis turget jecur, & ſplen ardet in iras,
Et macilenta atro ſanguine membra madent.
Præſcripto dudum emiſſo, ceu carmine ſacro,
Cuncta è longinquo vividiora dabas.
Horridulis ſqualore comis decor eſto; cerebro
Excutias tumido Pallada, & arma Redux.
Redde diem: radios petit alma Academia Veſtros,
Nam *Nova Lux* oculis eſt inimica ſuis.
Sis pinguedo genis; redeat quoque ſanguis in orbem
Floridus, & vernet (Te redeunte) color.
Splen iterum cogat riſum, jecur urat amantem,
Sic medicus fies, & medicina tuis.

In diverbium illud vulgare, perperam intellectum, *Salus populi, ſuprema Lex.*

IPſa ſalus populi nuper *Lex ſumma* vocata eſt.
Vox populi fuit hæc, non fuit illa Dei.
Carolus Angliacis cùm primùm advenerit oris,
Ille Salus populi vera, Suprema ſui.

Fu. Jackſon, Med. Dr. Aul. Clar. Præſ.

Σπέτρα *Cantabrigienſia.*

Libertati reſtitutæ CAROLO, *& Regnis*
Inſcriptio libera.

QUod hactenus Anglorum nulli contigit,
Quod poſteri vix credent jam ſciant:
Anno
Humanæ, & Britannicæ ſalutis MDCLX.
Anglos apud
Palàm viſus eſt è cineribus reſurgere
Phœnix à Phœnice, Carolus à Carolo,
Filius ſacer
Patris devoti, & Hæres penè ad martyrium;
Quod tamen
(Nè orbis, & Caroli eſſet abſimilis ſalus)
Evaſit Deo, & muliere conſpirantibus;
¡Illum volo Carolum (qui mundi ſtupor
Quòd exul omnino, quòd non Redux citiùs)
Expulſum & revocatum miraculo pari.
Quem enim
Ficta expoſuit, vera neceſſitas amplexa eſt ſuum:
Princeps noſcendus, venerandus
A virtutibus, conſtantiâ imprimis, quæ à ſatellitiis,
Quam
Solicitatam, hinc caſtam magìs conjugem
Cœlebs, & ſolius patriæ pater ducit domum.
Rex verendus à ſuis, quia ſtupendus ab exteris.
Hiſpania, paternæ memor, virtutem fovit hæreditariam;
Gallia, dum noluit, ſenſit Regem, & Defenſorem Fidei;
Conſcia Germania utraque reſtitutum vult, adjuvat;
Hibernia miſerè exulem deſiderat, Scotia reſipiſcit;
Anglia felicitatis ſedes, Regi etiam precatur ſuam.
Senatus, caſtra, civitas, Plebs acclamant ſuffragiis,
Felicium

Felicium ignium fulgure, & tonitru inermis pulveris:
Suſpiciunt Eum undique univerſi, ut univerſi delicias.
Nec vani ſit ominis quòd nutritus à Rege catholico
Rex de cœlo declaratus noſter, & illuſtriſſimus.
Natalitia notante meridiano ſidere,
Indubitatus, Invictus, Inclytus hic eſt Carolus
Qui poſt annos, hoc eſt labores, duodecim
Redit nobis nullo pede menſurandus Hercules;
Hæreſeos, Tyrannidis, ſordium purgaturus ſtabula,
Et, Paule, ſperamus tua.
Redit triumphorum plenus, qui deſtinatus Epitaphiis
Proditionis, cædis, rapinæ, funeri idoneis magé.

Lætum hoc monimentum poſteris, nè deſperent, poſuit
H. Paman, C. D. I. S. M. D.

UNde frequens ſacro Muſarum turba triumpho?
Cui nova plectra ſonant? humeris quid lætus Apollo
Facundum ſuſpendit ebur? vultúque propinquat
Celſior aſſuetо? ſed quid modò térque quatérque
Concutiens illuſtre caput, modulatur avitum
Et ſolenne melos? ſatis, ô, nimiúmque priores
Anglia mœſta dies; (donec ſub nocte ſilenti
Ægra diu jacuit) quàm triſtes viderat annos.
Quis Deus in melius crudelia fata Britannûm
Vertit, in optatum tempeſtátéſque ſerenum?
Noſco Diem, cauſáſque Sacri. Tuâ, concinit, Alte,
Bis Tua, Magne, Chorus natalia; damna Parentis
Supplevit fortuna Tui; næc ſævior Illum
Exitus eripuit, quia Te donavit: uterque
Imperio dignus: par cœlis Ille! Tuíque

Quo gaudes, solii non impar, Cæsar, habenis.
Macte animi, Rex magne, Tuis affulgeat Anglis
Clarior è tenebris, fato sublimior omni
Majestas, frangi duris & nescia vinci;
Quam nunc, discussâ rerum caligine veram
Aspicimus, satìs est, Superi, majora precari
Nec fas, Sin licuit, nec vos majora petenti
Vel dare posse reor, cœlis ea dona negantur:
Te pietas, laudata diu, nec visa sequetur
Rara fides, comitantur amor, junctæque phalanges
Virtutum, quodcunque placet Tibi serviat uni.
Sæviat incassùm rabies; quin ito per omnes
Quæ restant technas, fanatica turba, novásque
Emeritam in nostras puppim dimitte procellas.
Vicimus: I demens & tu *Lamberte*; sed isti
Regia turris erit, quin hac se jactet in aula.

N. Wragge, Med. Doct.

ברולוש בן שטורתוש

Anagramma.

ושר ושוטר בן שכלות

כ סא תמים ו בלי רמים
ר ם על רמים ש ם אליך
ו בעז ירו ר הב רדו
ל גוי בדו ו דבריך:
ו לאם רעים ש ם הבעים
ש ר לרשעים ו רב שוטר

בן

ad Carolum II *reducem.*

ב ן חכמתו ט וב צרקתו
נ א אמתו ר אש שנוטר:
ש ד הדעים כ ל מנעים
ט וכ לרעים נ ושא חוריז
ז שר אדר ש ושר ערר
ר כ כחדר כ נבש מוריז:
ת ודה לרב ל אל הרב
ו שת שלום: ו טוב תלך
ש ר ומלך ת היה עילום:

Tho. Smith, S. T. B.
Protobibliothecarius Academiæ.

VOta tua exorant jam fata (Britannia,) cœlos
Invidiâ ut poſthac exonerare velis.
Gnoſſia (nam cœli conſpirant aſtra) corona,
Fulget in Angliaco ſtella benigna polo.
Cæſar Io rediit, cadat hoſtia multa, coronent
Fumantes aras plurima ſerta Deûm.
Ecce premit ſolium Carolus, premat uſque precamur,
Parcarum & fuſos Regia ſceptra regant:
Nec generi mors ſumma tuo ſit linea, nectat
Id ſemper ſolio ſtamine Parca, tuo,
Nunc Regi pârere tuo diſce Anglia, facta es
Libera per Carolum, ſis ſimul ingenua;
Divino toties percuſſâque fulmine, tandem
Vel damno ſapiat plebs maleſana ſuo.
Serò Phrygum ſapuiſſe fuit laus ultima; ſerò,
Anglia, prima eſto laus ſapuiſſe tibi.

Fr. Hughes, M. A. Aul. Trin. Ad

Σωστρα *Cantabrigiensia*

Ad Augustissimum Serenissimúmque Regem
CAROLUM II.

QUi variam, Rex Magne, tuo reputabit ab ortu
Sortem, quod stupeat, quod veneretur habet.
Quid memorem Tibi nascenti quòd stella refulsit,
Sive recens medio seu Venus Alma die?
At Tu, quem statuunt, Cœlo testante, potentem
Sceptrorum dominum jura Paterna trium,
Heu Patrio, quoties hinc pulsus & indè, vagari
Cogeris incertâ sede, procúlque solo!
Regalique jacet *vulpes* dum vilis in aula,
Tu caput hìc sacrum non ubi condis habes.
Sed postquam nihil arma valent, truculentus & hostis
Sanguine Regali non satiatus hiat,
Ductu Fœmineo, numerosa per agmina lapsus,
Non sine præsenti Numine salvus eras.
Anglia sæva parens, & Gallia dura noverca:
Excidit & Batavis fœdere juncta fides.
Sanguine non sociata tibi, aut communibus aris
Gens dolet, ínque sinu nobiliore fovet.
At Deus Herodem, fractâ cum prole, cruentum
Tollit, ab Ægypto Téque redire jubet,
Nutibus & tacitis nullo tibi Marte domandos
Flectit, & aversos sub tua sceptra vocat.
Quid malesana cohors formas se versat in omnes,
Diruit & temerè quod modò struxit opus?
Solus es, Artificum stolidus quem respuit error,
Mœnia quo possint rupta coire, Lapis.
Anglorum nunc surgat honos collapsus; in altum
Exurgat Solymæ machina pulchra Novæ.
Quis Te non magnos servatum credat in usus,
Aurificis toties cocte recocte foco?

Ol. Doiley, Coll. Regal. Soc. & Procurat. Sen.

ad Carolum II *reducem.*

AUrea fortunæ Reduci delubra vovere
Moris erat, ſalvi quòd rediêre duces,
Quæ ſacranda Deæ templa, & quæ thura? Britannis
Quòd, Rex alme, refers aurea fœ'la redux.
Exule te, Britones Picti verè; omnia picta,
Libertas, leges, jura, ſacra, atque fides.
Lex exlex; laniena, forum fuit: omnia miles:
Enſes, ſceptra, ſcelus, jura; ruina, ſalus.
Albion exciderat! niveis jam vecta quadrigis
Alma ſalus tecum; nomen & omen habet.
Quæ laris incerti fuit, ut Latonia Delos,
Jam repetit ſedes inſula veſtra ſuas.

ORta Deis, queîs jura, thronos dedit, arma gigantum
Irrita; quæ præſtat ſceptra tenenda Jovi:
Majeſtas Maio dederit quòd nomina menſi;
Omine felici Naſo poeta canit;
Fata Deûm Carolus reddit Jovis æmulus orbi,
Ut ſtellas Siculi vitrea ſphæra ſenis.
Carolidæ reduces repetunt ſua regna; Typhoeus
Obrutus Ætnæis ignibus ecce gemit.
Feſta dies, ortu Regis ſceptróque notata; *Maii* 29.
Quæ toties dederis Lilia miſta Roſis.
Numine tu (Divûm geminant ut Feſta Calendæ)
Néve minore micans, feſta gemella feres.
Veris origo novi, Gentis natalis & æra;
Auſpice Te, felix integer annus eat.
Stella priùs docuit cunas atque omina fati,
Quæ vicit radio lucidiore diem.
Qui cœlos aſtro dum naſcitur, augeat Heros
Denatus Divûm, ſerus at ille, chorum.

Σωτηρια Cantabrigienſia

Ad excellentiſsimum virum D. Georgium Monk, *Archiſtrategum, &c.*

SParſa diem nebula, en! tulic Anglis Scotica ſudum:
Æneam nubes & reducem alma dedit.
Dum tria regna ſtudes Regi conjungere, Gygis
Pronubus his ſacris annulus aptus erat.
Reſtituis Regem cunctando, regna, ſalutem;
Et pia fraus Monacho non priùs ulla fuit.
Gaudia quanta! deeſt vati cùm Muſa roganti;
Votis cœlum: æther, plauſibus: ara, ſacris:
Pectora, lætitiæ; contendit ad aſtra triumphans
Flamma; nequit cœlis ire, ſed, ite preces.

F. Gardiner, C. C. C. Soc. & Acad. Procur. alter.

QUem Deus Regem ſtatuit Britannis;
Quem fides tactis data Bibliorum
Paginis, ſummi ſimul & Senatûs
Jura repoſcunt:
Unicè votis petimus ſecundum
Inclytis nulli meritis, Secundum
Carolum, cujus reditu beatur
Anglia grata.
Donec à nobis procul exulâſti,
Machinis orci, (ſcelus heu nefandum!)
Flevimus, Cæſar, tulimúsq; mœſtos
Corde dolores.
Vidimus lucem tenebris fugari;
Vidimus Solem rediiſſe, claro
Cujus adventu fugiunt ab altis
Montibus umbræ.

Sic

ad Carolum II *reducem.*

Sic diu fretos vitiis tyrannos
Vidimus Regi, populóque ſtrages,
Curiæ & ſævi violenta Martis
Tela paraſſe.

Grata ſed tandem niveo lapillo
Digna lux venit, ſua ſceptra Regi,
Curiæ ritus, populóque reddens
Jura priora.

Doricâ carmen citharâ canamus,
Gaudium læti reſonemus unà,
Venit en noſtrum caput & corona
Carolus alter!

Muniant Regem pietas, (precamur,)
Aureæ virtus mediocritatis,
Æquitas legum, probitáſque morum
Mortis ab ictu.

Muniant jurata fides, ſerena
Veritas, & firmus amor Senatum,
Milites, Regni populúmque ſævo
Martis ab ictu.

Sic tuos inter vigeas Britannos,
Cæſar & terris dominare felix;
Divus ut ſerò redeas in altos,
Carole, cœlos.

Ri. Kitſon, Art. Mag. Sid. Coll. Soc.
& Acad. Taxator alter.

RErum certa ſalus, terrarum gloria Cæſar
(Jam licet ingenti dicere Voce) Venit.
Utque olim texêre Jovem crepitantibus armis
Cretenſes, Carolum Jupiter ipſe tegit.

Illius ergò premant victrices tempora laurus,
Sospite quo, magnum novimus esse Jovem.
Memnonis alma parens properet, nec nostra moretur
Gaudia, jam properet Memnonis alma parens:
Tarda tamen nitidæ non cedent sydera luci,
Quælibet & Carolum stella videre cupit.
Carole, sed venias licèt ipsâ nocte, videbit
Anglia conspicuam, Te veniente, diem.

Hen. Clifton, Coll. Regal. Generos.

Πρὸς τὸ ΒΑΣΙΛΕΑ.

Ἀλλ' ἐκ μὲν Σὺ μὲ πλεο Δῖ' Ἀχιλλεύς,
Τίς σὺν ἔπαινον ἀρεῖ εἰ μὴ μάλα θεῖ' Ὁμηρ';

Ὡς ἐσὺ Καρόλε τὸ πάλαι φάο Ἡελίοιο,
Πάντας, ἄχος, περίκη ὀπάλυψε μέλαινα Βρεττανὲς,
Τῶ καλαδύοντος, τάχα μὲ νέα λυχνία φαίνει,
Καὶ μετὰ τοῖσι πίφνε μίγας τὶς, δῖα Κομήτης,
Αἶπος ὧν λοιμοῖο πάλαι Βρεταιῶν ἐνὶ γαίῃ,
Ἀλλὰ θανὼν τε σίσπε λίαν, κλυτὸς ὄνομα μοῦνον,
Δεύτερος αὖλ' ἀπὸ τᾶ μὲ παιδὸν δὲ τέρχνος
Ῥί χαρδος, κωὺς ὁμιμαῖ' ἔχων, κραδίλιν δ' ἐλάφοιο.
Γιὸς τ' εἰρλωπος, πολέμοιό τε παυόμενός φ',
Οι πόλεμος δ' ἐχθιστος ἐμῶς αἰδαο πύλησιν,
Ὅ, πὶ πατὴρ βυλῆσιν ἑδωκέν τ' ἀγχιλοχώτης,
Τῦτο μάλ' ἁπλοϊκῶς ἀπολείπει νήπιος υἱός·
Ὣδ' ἴδε πῶς δεινὸν γ' ἀγὼν βασιλῆιόν ὄζει
Κτείνειν, σεῖς τε σωσεῖν σκῆπτρον, κὴ σέμνα θεοῖο.
Ταῦτα Θεὸς σφέτερον, ἄνακτ' ἀνδρῶν τε, θεῶν τε,
Ἄμμιν τὸν Κάρολον τεκαριτομήστην ἔδωκεν,
Οὐ φὴν κόσμος ἔλιω μάλ' ἀνάξιος ὄια κὴ Ἄγγλοι,
Ὃν χθὲς πέρασθεν, νεῶν νόστιον αἰδόμενοι,
Ἐν δυσκιδικάτῳ ἔτεϊ εἰς πατρίδα γαῖαν
Ἐλθόντ' Ἀγγλικοῖς πᾶσιν θυσίκλυτον Ἄνδρα.
Πρῶτά μὲ ὧν ἄπολις βασιλεὺς νεῶν ἐς ὁρμιαδὲς,
Εἰκὼν τ' Καρόλυ θεοειδὲς τ' Μαρκελίνυ,

Κοίραν

ad Carolum II *reducem.*

Κοίρανος ἐκ παίδων, ἐνὶ εἴκοσι πᾶσι μάθοις νὶν,
Καλὸν δ' οὕτω ἐγὼ οὔπω ἴδον ὀφθαλμοῖσιν
Οὐδ' οὕτω γεγαρόν. Βασιλῆϊ γὰρ ἀνδρὶ ἔοικεν
Ἡμίθεος γεγονὼς, ᾧ μὲν Θεοὶ κῦδος ἔδωκαν.
Ὡς δ' ἄρ ἐπεὶ τ' ἀνὰ νῆσον ἐπήγαγε νηῦς ἐΰπρυμνος
Τὸν Δία, καὶ γέννημα Διὸς μάλα θεῖον Ἀδελφοὺς,
(Γνήσιοι ᾧ Καρόλῳ, Βασιλεὺς ὧν ὀξὶν ἕκαστος
Ἀμφοτέρων πολίων περικαλλέες ἀστέρες ἄμφω,
Εἴκελοι ἀλλήλοισι, δύω Κοσμήτορε λαῶν)
Αὐτίκα τῷ Καρόλῳ βασιλήϊα δῶρα φέρονται.
Πᾶσά περ Ἀγγλογενῶν γενεὴ ἐπὶ γούνασι κεῖται,
Μοῦται Χαμιάδες τε ταπεινῶς ἐν ποσίν εἰσι.

Εὐχή.

Χαῖρ' Ἀγγλῶν Βασιλεῦ, μετὰ Σοῦ συγχαίρομεε ἄμμες,
Αἰὲν ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχος ἔμμεναι ἄλλων.

Ἱλερμὸς ὁ Λύγγου ἐκ τοῦ Γονβίλου.

MIra loquar, quia mira facis Rex maxime: namq;
Hostiles passus, Carole vincis opes.
Hispanâque venis dum Rex ditione relictâ,
Sol meliùs splendet, gratior ítque dies.
Quis Gallum timeat? vestros quis, Iberia, fluctus,
Scottorúmve gemat quæ mala fœdus habet?
Nutrit rura Ceres, & per freta navita currit,
Committit pelago tutiùs atque ratem.
Sobria Gens quæ non pleno se proluit auro,
Albâ nè careat nóxve diésve notâ.
Ast ego Cecropio repetam mala facta cothurno,
Tristia commemorans, horrida, sæva, fera.
Quæ Regio in terris, aut quæ caret ora cruore
Anglorum? quæ non sanguine terra rubet?
Quis locus aut gurges? quæ flumina nescia belli?
Qualis erat Divi mors truculenta patris!

Heu patris dixi! cujus pars maxima vivit
Perpetuò, muſæ nam vetuêre mori.

R. Pepper. C. C. Soc.

De *Nomine & Cognomine* Regis noſtri Sereniſſimi de *Perſona ſingulari* coeuntibus: *Anagramma* CHARLES STUART / STET LAR CHARUS.

PArcite, Grammatici, *Lare* dum lætemur in *Uno*
Pro *Laribus* veſtris: non *duo trés*ve placent.
Quod *duo* ſunt Mundo *Soles*, id *Sceptra* Britannis
Sunt *duo*: portendunt ſic genus omne mali.
*Stet Carolus, charús*que ſuis *ſtet*: ſic erit omne
Fauſtum; ſic *quodvis numen* adeſſe putem.

Guil. Fairebrother, Coll. Regal. A. M. Soc.

IBericis quid Belgicíſque (Carole)
Morâre regnis, en, ſinus Britannia
Suos repandit; Te Coronæ triplicis
Titulo ſalutare cupiens Ter-maxime,
Fatalium hanc vovet Tibi ſororum trias.
Diviſus orbe modò, ſimul & ſeſe Albion,
Vires in unum, ſparſáque membra colligit:
Redimente ſacra tempora Tibi diademate,
Ecce! pretioſa gemmula enitet Unio.
Capite numeroſiore bellua excetrâ,
Regale quæ nuper ſolium ſcandit! pudor,
Cæſare perempto Brutus Auſoniæ imperat!
Carbone libitinam notate Angli nigro
Iſtam; crucibus & carnificibus tempora
Pudenda; novo numerate Gregorii ſtylo.
Res inſpicere humanas, vicéſque volvere
Ultrò Deos agnoſcit Anglia; ſydera

Abſol-

ad Carolum II *reducem.*

Abſolvit, en! ſalvus Carolus; certiſſimæ
Pignus ſalutis; progenies Superis ſata;
Quem Patria cognoſcit arridens patrem.

Rubenus Bowen, Coll. Trin. A. B.

SUnt ergò Superi! Deum
Abſolvit dubium pœna rebellium,
Et verſa retrò ſpes, dolus irritus,
Conatus impar, fracta potentia
Sanguineæ maleſana turbæ.
Jam facili fide
Dominum polo ſedere
Credimus; imperiúmque gerere
Rebus in noſtris: Tibi, ſceptra regni
Carole, & Angliacæ ſolennia jura coronæ
Reddita, reſtituêre cœlo
Sua ſceptra: nos enim, Te pulſo malè patriâ,
Diximus, heu quoties! quis ferat iſta Deus?
Quæ curæ? qui tum ſollicitus metus?
Scotico cùm Tu petebas regna fretus milite.
Numquid quæ Patrem potuit Gens prodere, profit
Filio? preces erant,
(Quas pro Te multis fudimus in lacrymis).
Nec ratæ, nec irritæ.
Penes ſceleſtos Martis adoream
Conſtare Numen noluerat Scotos;
Idem Te, victus precibus tuorum,
(Et majus potuit Te dare nil) Pater
Eripuit diſcrimine belli.
Sic Fati torrens, & ineluctabilis æſtus
Te rapit è patriæ rurſus in Alta ſinu:
Votis Te ſequimur, proſequimur ſuppliciis Ratim;

Cæſa-

Cæsarem vehis; modò
Sistas, quo placuit, litore debitum
Terris, debita cœlo
Juxta Phaliacam, Ratis, Carinam
Æternùm liquido nabis in Æthere.
Per quinquennia jam decem,
(Nam visa quævis hora nobis
Longa dies, mensis quilibet annus erat)
Abes; carendo Te sumus exules
Domi; carendo Téque senescimus;
Te quòd fruuntur, carpimur extera
Invidiâ prosequendo regna.
Pulsus sidereo Saturnus ab axe, Latio
Exul rex latuit; barbarus Hospitis
In mores Italus transiit, & Deo
Dedidicit doctore ferociam:
Immane, quantum Tu Britanno
Hesperiæ Moderator aulæ
Debes; ingenium Principis advenæ
Ex parte magna Te priorem
Barbariem posuisse suasit.
Quod nec ventivolus Gallus, ut antea,
Leges jam sequitur severiores;
Te solo *speculo principis* utitur
Tui non malus histrio.
Te Belga Scaldis, Te Mosa turbidus
Ut videt puro fluere amne vitæ,
Desinit jamjam lutulentus esse,
Et cœpit sordes odisse Batavas.
Tu mundi meritò censor, morúmq; magister
Fieres; carere regno placidus potes atavo,
Et rursus virtute mereri.

T. Gale, A. B. T. C. *Ad*

Ad Regem reducem.

QUanta licet cœlis, quæ thure rependere, Regno
Qui Regem, Patriæ qui retulere Patrem:
Externis quærenda diu fuit Anglia terris,
Exsul & à patrio patria nostra solo:
Sed Tecum reditura, Tuo Diademate Cæsar,
Et nostros simul, & nos facis esse Tuos.
Effluxere piæ nimio cum sanguine guttæ,
Sufficeret lachrymis sanguis & ipse suis.
Vulnera chara forent, si per tot hiantia Regi
Ad Regnum poterat porta fuisse suum.
Mutua laus tandem patriæque Tibíque, celebrat
Te patria, imperio plus celebranda Tuo.

Jo. Boreman, M. A. Trin. Coll.

Ad Serenissimum Magnæ Britanniæ, Franciæ; *& Hyberniæ Regem,* CAROLUM II, *Carmen Gratulatorium.*

ANglia, quam purum quondam circumdedit æquor,
Nuper erat lachrymarum & sanguinis Insula; tandémq;
Albion haud meruit (niveum nimis illud) haberi.
Illa jugi præ mole gemens, pro schismate demens
Sauciáque, & sacro dudum polluta cruore,
Relligionis amans, pietas quam nulla ligavit,
Et fidei, quam nulla fides; immaniter illa
Pulsa, sed in propriam satis ex se prona ruinam,
His demum sua per suspiria vocibus usa est,

Qui potis est (ait) hisce malis adhibere medelam
Aut Deus est, aut plena Dei manus. Ecce repentè
CAROLE dexter ades: Te dignus Apolline morbus
Incidit, ac Medicum fudit modò machina Numen.
Verùm ades? O decus! O nostrûm Medicina malorum!
Atque redis? Gentésque ubi nox, ubi terror & error,
Crescentésque Hydræ & tot monstra informis Averni
Imperium tenuere; antiquo jure capessis?
Salve, O formosum jubar! O lætabile lumen!
Exoreris tandem, ac manifesto Numine fulgens
Discutis horrendas tenebras, radiisque fugatam
Pergis adhuc victor penitùs dispellere noctem.
CAROLE, Te fruimur? populo jam vota fideli
Non pereunt, non sollicitæ spes credula mentis.
Te redeunte, fugax votorum summa redibit.
Ecquid enim petimus? Tecum subit Alma potestas
Regia, libertas, pax, & reverentia legum
Longum concultata diem, commercia tuta,
Et Musis concessa olim solamina, tecum
Sacrorum decus, & pietas, & pristinus ordo;
Curia, templa, forum redeunt, justúsque Senatus
Diluit inducto scelerum vestigia recto.
Indè, priùs muti, loquimúrque & nescia Phœbi
Pectora jam canimus, numerosâ voce salutem
Fundimus, ac demum cuivis licet esse poetæ.
Plebs, Proceres, & qui sacras operantur ad Aras,
Rus, Urbs, Castra, Tuarum & Classes incolæ aquarum,
Caligánsque senex, puerique & virginis ætas,
Vírque, uxórque (sui obliti tantisper amoris)
Gentísque imprimis Academica turba Togatæ,
Ordo omnis, sexúsque omnis, lætique hilarésque
Vota damus cœlum penetrantia, festáque passim

Nube coronantes Altaria thuris, ab imo
Corde erumpentem, qui ſuſcitet, addimus ignem.
Vive diu Magni proles genuina Parentis,
Attonitum reddens patriis virtutibus orbem.
Vive Tibi & nobis (liceat, precor, addere, nobis;
Nam populo ſine Rege, vides, neque vivere vita eſt)
Cura Dei cuſtodis, amor terræque marí ſque
Exarment omnes felici fœdere Caſus.
Omnibus hæc vox eſt (nam quid numerabimus illos
Quos ſcelus in mutum vertit pecus, oráque clauſit?)
Et meritò; nec enim noſtris, Rex Optime, votis
Credimus iratum aut ſurdum, Te ſoſpite, Numen.

M. Thruſton, A. M. C. C. C. Soc.

REX REDUX.

NOs ludos fortuna facit, mirámque facetá
Exercet hiſtrioniam;
Per Tragicos luctus, & acerbæ triſtia ſcenæ
Deducit in comœdiam.
Concutit ut poſſit meliùs ſtabilire, premítque
Attollat ut mox altiús.
Obvolvit tenebris, & mœſtâ nube recondit,
Ut clarior lux emicet.
Diruit imperium penitus, durabile firmi
Fundamen imperî ut ſtruat.
Inducit miſeræ genti civilia bella,
Clades, rapinas, funera;
Evertit leges, confundit jura, Senatus
Pellit, trucidat Principes,

Templa Deûm ſtabulis æquat, pallatia Regum,
Et curias Senatuum,
Ut pax certior emergat, reverentia legum,
Ordo, nitórque illuſtrior:
Ut redeat tecum diuturnior, Optime Regum,
Et gratior felicitas,
Præteritis olim memores ut mitia ſceptra
Magìs æſtimemus ex malis.
Charius ut regnum Tibi ſit, tu charior illi,
Ex mutuis abſentiis.
Aptior ut celſo officio Tua caſibus eſſet
Probata virtus aſperis.
Ut meritis ſis Rex, pluſquam natalibus altis,
Votíſque noſtris, quàm Tuis.
Ut reliquâ Regum turbâ felicior, atque
Videare Diis acceptior;
Queis Regale decus tribuit natura, ſed uni
Tibi dedit miraculum.
Denique majorem quò promereare triumphum,
Ineáſque regnum lætiùs:
Quæ regnaturum comitantur gaudia, ſemper
Regnanti ut adſint, comprecor.

Ja. Wray, Coll. Trin. Soc.

In Auſpicatiſſimum Sereniſſimi Regis
CAROLI II.
ad ſuos Reditum.

ERgò iterum lætas fas eſt agitare choreas,
Neglectámque diu ſollicitare Lyram.

Quæ

Quæ modò demiſſo mœrebat languida vultu
Anglia, turbatas dilaniata comas;
Nunc ſua victrices mittet per tempora laurus,
Et tremulam feſto ſub pede pulſat humum.
Cui modò nec Thameſis, modò nec circumfluus humor
Suffecit triſti rore rigare genas;
Nunc antiqua ſuis depromit Maſſica cellis,
Recluſóque fluunt Cæcuba vina cado:
Fiſtula nec ſolitas diffundit plumbea lymphas;
Nyſæo ceſſit vitrea Nympha Deo.
Adventans Carolus nobis hæc gaudia fecit,
Poſt nubem optatam reddidit ille diem.
Sic conturbatis ubi pontus inhorruit undis,
Atque atrox fluctus accumulavit hyems,
Notus Amyclæo effulgens cum Caſtore Pollux,
Pacifico tumidas igne ſerenat aquas.
O gratum ſidus! quàm ſuavi luce coruſcas!
Quàm pulchrum Eoo tollis ab orbe caput!
Penſilia innumeris reſonant clangoribus æra,
Te certum eſt illâ relligione coli.
Canna loquax crebro tonitru diverberat auras,
Fulmen mite ſuum ſentit adeſſe Jovem.
Ipſáque multiplici collucet ſidere tellus,
Æmula ſtellantis, te redeunte, poli.
Cùm quondam medio fluitaret in æquore Delos
Immotum tenuit natus Apollo ſolum:
Non aliter vario vexata Britannia fluctu,
Cæſaris adventu conſtabilita ſtetit.
O ſacra Majeſtas, tu Muſis divus Apollo,
Tu ſtator populis Jupiter eſto tuis.

Rob. Grove, Col. Div. Joan. Soc.

Σωτηρια Cantabrigienſia

In Exoptatiſſ. Sereniſſ. Regis CAROLI *reditum.*

AD plauſus alacres, ad feſta recurrite cives
Gaudia; poſt mœſtæ tædia longa moræ,
Poſt obices domitos, & rupta repagula fati.
Urbe redonatus Regius Exul adeſt.
Nunc Illuſtre Caput juſto Diademate fulget,
Invenêre ſuam nunc vaga Sceptra manum;
Quæ Proavis vibrata Tuis per ſecula multa,
Vibrent Prognati in ſecula plura Tui;
Carole, Spes patriæ; quæ multos ægra per annos
Phœbæam tandem, quæ Tua, poſcit opem;
Deformata decus priſcum, jactata quietem,
Te libertatem preſſa ferente petit.
Vult redeant Tecum Concordia, Copia, Leges
Exilii Comites Participéſque Tui,
Quem ſperet magis afflictis ſuccurrere rebus,
Quàm qui fortunæ paſſus utramque vicem,
Succeſſu nimio didicit cohibere tumentem,
Fortiter adverſo pondere ferre gravem;
Conſuluit propriis rudior virtutis acerbæ
Diſcipulus, noſtra ad vulnera doctus adeſt:
Quem non naſcendi tantùm ſors cæca coronat,
At ſimul ad regimen publica vota vocant;
Quódque magis, cujus mirandâ ope Sceptra recepit,
Cujúſque Auſpiciis imperat, Ipſe Deus:
Ille ſuum tueatur opus; det vivere nobis
Et ſibi felicem; Cor pietate ſuum,
Conſiliis animum regat, & ſucceſſibus almis
Suſcipienda ſuo nomine Cœpta beet:
Quóque magis ſerus regna ad terreſtria venit,
Serior hinc abiens regna ſuperna petat.

R. Scott, Trin. Coll. S. S. Au-

AURORA CAROLINA.

SÆpe luto torpens Phœbææ lampadis acri
Impreſſu reſoluta palus conſcendere Olympum
Audet, & ingrato velamine cingere ſolem;
Donec perpetuo nubes agitata tumultu
Undique ſerpentem tenuato margine Phœbum
Imbibit, & triplici tenebras ſplendore rependit:
Sic ubi ſe ſummis miſcere ſuperbia vulgi
Cœperat imperii rebus ſacróque ſenatu
Nobilium impuras populi confundere fœces:
Heu! quantas ſubitò tenebras, quantòſque fragores
Senſimus oppreſſi! dum ſeditioſa libido
Plebis, & incultus rabioſi militis ardor
Vibrant eximium motura tonitrua regnum.
Quis dabit exanguem vix languida membra trahentis
Effigiem patriæ depingere? mœnia templi
Diruta, & antiqui cultûs monumenta colenda
Dicere? --- ſed motos præſtat componere luctus,
Et revocare gradum: quis me novus occupat ardor?
Et jubet excuſſas tenebras, ſubitóque reductos
Mirari radios? en! mumura læta ſupremos
Incipiunt quaſſare polos, en! clamor ovantem
Exagitat populum; grati ſalvete triumphi,
Quos agit Elyſiis æquata Britannia campis:
Illuxit ſperata dies, vitámque reducto
Accipimus cum Rege novam; date pocula læti
Fuſa bono Genio, ſacratâ fronde coronas
Nectite perpetuas, & cincti tempora Regni
Natalem celebrate diem, quæ luce perenni
Splendeat, ignorans quas ambitione tumentes
Vel proceres, milésve vorax, populúsve peruſtus

Invi-

Invidiæ ſtimulis tenebras obducere poſſint.
Qualiter everſæ tutos de funere Troiæ
Incertíque minis pelagi excepêre maritos
Argolicæ; haud alio generoſe Britannia Princeps
Abſterſis rediviva genis te conſpicit ore.
Salve Phœbe tuis exoptatiſſime terris
CAROLE, fulcimen ruituri nobile regni:
Effice, ut edocti tandem meliora ſciamus,
Quantùm patre nothus, quantùm imperioſa tyrannis,
Vulpes, atque lupi genuino à Principe diſtant.

Mich. Stanford, Chr. Coll. Soc.

De meritis illuſtriſsimi viri GEORGII MONK, *regnum Anglicanum prudenti conſtantiâ priſtinæ ſuæ gloriæ reſtituentis.*

NOndum deficiens coſmica viribus
Matrix detumuit; deſine barbare.
Qui fingis querulus mille calumniis
Naturam quaſi languidam:
En! tandem Fabio vivida Maximo
Majorem peperit: qui placidam gravi
(Quam non ſanguineis bella tumultibus)
Pacem reddidit otio.
Altum ſic taeito vidimus impetu
Flumen littoreas ſternere compedes
Ripas deſpiciens, dum vada inutili
Lambunt murmure calculos.
Jactat fama loquax fulmen acutius,
Cujus flamma ſubit vel ſine vulnere
Vaginæ facilis mœnia, & eliquat
Enſem hoc carcere conditum.

Prudens

Prudens ambigui nube ſilentii
Tectus, non aliter quàm Gygis annulo,
Ignotus dubii tu penetralia
Regni fortiter occupas:
Æternæ cineres unde tyrannidis
Triſtes excutiens, eripis acribus
E flammis ſolium Regis, & aureæ
Libertatis amabile.
Miris tot meritis vincitur Anglia,
Cœlum (quod ſupereſt) præmia conferat,
Servantis patriam cuncta ſuperbient
Frontem ſydera cingere.
Jam ſolùm reducis Gemma Britanniæ
Fulges: aſt animi tegmine nobilis
Tandem depoſito vividus altero
Phœbus vertice ſplendeas. *Idem.*

QUid poterit Jus, quid Majorum à ſtirpe Tuorum
Naſci; quid patrium generoſi exemplar honeſti,
Et quàm grata Deo Devoti victima Regis,
CAROLE Magne docet qui perſonat undique plauſus,
Majeſtatis honos, veteris ſolennia pompæ;
Quæ lætâ ſylvarum, & montis imagine clamant,
Aſpicis ut templis alius nitor, altior aris
Ignis, & ipſa meæ tepeant tibi ſydera brumæ.
Moribus ecce tuis gaudent turmæque, tribúsque,
Purpureíque Patres: lucem à Te Præſide ducit
Omnis honos. Quid tale, precor, prior annus habebat?
Quid cùm affectabant ſacra conculcare Typhœi,
Immeritas Patriæque in viſcera mergere dextras?
Mille tropæa feres, tantùm permitte triumphos.

 J. Hawkins, Coll. Trin. Soc.

Σῶστρα *Cantabrigienſia.*

Ad Sereniſsimum Magnæ Britanniæ *Regem* CAROLUM II,

De Triumphata Tyrannide, Barbarie, & Exilio, Gratulatio.

IN Superos olim moverunt bella Gigantes,
Et conjurârunt ſoliis rata numina cœli
Deturbare ſuis, Regiménque capeſſere mundi.
Fingite ſucceſſiſſe nefas: rerúmque potitos
Imperio: expulſis immania monſtra Gigantes
Numinibus, vacui tenuiſſe palatia cœli:
Inque vices Superûm tractantes orbis habenas,
Arbitriis rexiſſe ſuis mortalia fata.
Primus ſceptra capit ſceleris dux maximus, Ingens
Enceladus: fulménque Jovis (quod par erat olim
Incutere horrorem mundo) leve rejicit: Oſſam
Hâc vibrat in Terras, & torquet Pelion illâ:
Et tonat, & turget, Cœlúmque & Tartara miſcet,
Et pavidos terret populos, populúmque Magiſtros,
Fas & jura ſilent terris, Regnante Tyranno
Encelado: Leges, conſuetáque vincula rerum
Diſſiliunt; & *Velle* ſuum, Prædámque *tueri*
Juſtitiæ & juris compendia continet omnis.
Lumina terrarum, Pax alma & Apollinis artes,
Intereunt: placidi mores, & tota ſupellex
Pectoris ingenui: veterum delubra Deorum
Et ritus ſacri delentur: & exulat orbe
Humanum quicquid Genium redolere videtur.
(Omnia nam fingunt ut terræ filii; Onuſti
Carnis mole ſuæ, craſſóque in ſanguine merſi)
Hiſpida barbaries ſucceſſit, & ardor habendi
Imperium & nummos per fâsque neſâsque: ferina
Horruit aſperitas, & tota in caſtra faceſsit

Tellus

Tellus, præsidiúmque unum: dum cura Gigantis
Sola hæc (Arte malâ quoniam malè parta tuenda)
Perdere relliquias Divûm, Divísque faventûm.
Cætera qualis erat magni pars quæque Theatri,
Fingite: & humanis quæ perturbatio rebus:
Singula Gens terræ tanti sub pondere monstri
Pressa gemit: populíque omnes incendia, cædes,
Atque Chaos rerum pertæsi, hæc vota susurrant
(Ad quoscunque Deos, & Mundi ubicunque repertos)
Pax redeat terris: redeant rata numina cælis.
Intereà quoties spes ulla eluxit, & ansa,
Excussisse jugum tentabant: vulgus ad arma
Sollicitant: victísque pari molimine certant,
Expulsos revocare Deos: jugulare Gigantem.
Inclytà Majestas! Cùm noster Regius exul
Appulsus patriam, solium conscendit avorum;
Visus erat populus mihi, præter cætera læta
Quêis tonuit cœlum & tellus, clamare vicissim
Ecce Deos reduces: Regimen cœleste reversum:
Sedibus avulsos, luituros facta Gigantes.
Non iterum pecus ignavum, & fæx infima plebis,
Sed rigidus ferro, spiránsque & fulmina & ignes,
Sæviet impunis quocunque dat impetus: & nos
Nostráque diripiet, dum frustrà óramus inermes.
Non iterum Imperium vexabit scripta trimestre,
Atque novum Regem tempestas quælibet anni
Proferet; hic Hyemem, tótum ver ille superbit,
Tertius æstate, ac Autumno fulminat alter:
Carolus, exclamat populus, tot secula regnet;
Tranquilli Dominus solii: Carolíque nepotes
Æternùm (& sonitu tremefacta est Terra) triumphent.
Haud equidem credo, populi majore triumpho,

Exulem & extinctum per tot Quinquennia ſolem
Exciperent reducem, memores caliginis atræ
Atque decennalis noctis, quàm lucis alumnum
Et cœli Carolum, lætum in ſua regna reverſum.
Nec furit hic populus: quid enim felicius illo,
Naufragio elapſum gremio comprêndere Regem,
Atque in Rege ſuo totum comprêndere Mundum?
Aurea pax, & pacis opes, generoſa juventus:
Ingenium populi manſuetum; gratia morum;
Muſarum cultus; ſacris honor; urbis, & agri
Divitiæ; cujúſque ſtatûs lumen, decor, ordo,
Cum *Carolo* extorres, Caroli rediêre ſodales.
Tandem age, macte Heros: quem ſpectant inter agendum
Diíque Deæque omnes: Dum proniior aſtat Olympus
Vertice ſummiſſo propiùs deducere Divos:
Unde etiam has voces miſſas tibi molliter audi:
Carole, cura Deûm, (nec enim ſine Numine noſtro
Hæc tibi,) Deliciæ populi, ſpes unica utriſque:
Fluctibus & ferro ſperamus non malè ſalvum,
Pérque tot ambages, ad ſceptra paterna reductum:
Macte, age, proclivem quò te Clementia ducet,
Et pietatis amor: Læſæ reparare ruinas
Gentis, & in ſacris motos componere fluctus,
Flectere diſcordes animos, & mobile vulgus
Relligione furens cœcâ mulcere paratus.
Supra quiſquilias anguſtæ mentis inanes,
Et phaleras cultûs, populi magnalia, vectus;
Juſtitiam, pacem, (cœli intimiora ſupremi)
Excoctúmque bonum, colere & præferre memento:
Queis benè munitis, reliquorum diſcolor uſus
Eſto penes proprios animi cujuſque penates.
Mens ſua cuique Deus: puróque in pectore Templum

Sacrilegum

Sacrilegum violare, magìs quàm marmore ſtructum.
His dictis, tacuere: volántque in fornice Cœli
Ut tibi ſuccurrant, Divorum juſſa ſequenti.

T. B. *A M. C. C. S.*

In Sereniſſimum Regem
CAROLUM II.
In patriam poſt longum exilium feliciter reducem.

SUperata tandem fata nunc jactes licet,
Adverſa jamdiu invido conamine,
Sortíque felix victor inſultes, tibi
Quantum illa nuper, aſpero vultu ferox,
Antiqua patrum ſceptra vibrans, Carole,
Protector æqui juvit almâ te manu,
Fatis ſuperior, ſorte plus potens Deus.
Tellure creti, viribus quid fiditis,
Armíſque contra jus honeſtúmque irritis,
Summóque legum Vindici reſiſtitis?
Nè proſperos ſperetis exitus, monet
Rex veſter, invitos regens miraculo,
Terrâ renitenti, faventi ſed polo,
Nolente fortunâ, volente ſed Deo.
Sed Tu, Deorum cura, quotquot incolunt
Arces ſupernas, Regiæ ſtirpis caput,
Per mille Phœbi circulares ambitus
In regna radices agentis inclytas,
Nec ſtemma cui ſufficit, ac illuſtrium
Ingens avorum ſplendor, aut unus ad tria

Quòd natus es ad ſceptra, jure non dubio,
Ut imperares, ni vocâſſet altera
Fortuna Regem, vota gentis publica,
Tua magna virtus, Numinis mirus favor;
Regni recepti ſic habenas tempera
Non ſorte, non videare caſu proſpero
Ut natus aut Rex factus, at merito tuo,
Virtute quod cœlos amicos fecerit
In te fideles glorientur ſubditi,
Urente dulci flammâ amoris pectora,
Totâque proſequantur hoſtes invidiâ,
Vel pœnitentiâ, ſeverâ vindice
Injuriarum, ingrata gens quas intulit,
Hæc expiétque ſola culpas carnifex.
Conſors tui imperii dominetur æquitas,
Legúmque ſacroſancta Majeſtas, tuæ
Suppar, popelli nuper inſolens jocus.
Diſtracta dudum civium Tu pectora
Connecte vinculis amoris mutui,
Iras, querelas, odia compeſcens fera.
Depelle Martem penitùs, aut transfer locos
In transmarinos arma cum victoria.
Te ſancta veritas Patronum ſentiat,
Te pura virtus, pársque nobilis tui
Tituli Fides. Te Eccleſiæ præſta caput,
Rixoſa quicquid Turba contrà diſputet,
Senſum, vigorem, regimen ipſi impertiens.
Juſti, perennis, glorioſi, floridi
Felicitas regni tuorum affectibus,
Votis, precibus, ac gaudiis reſpondeat.

Jac. Valentine, Trin. Coll. S.

In Auſpicatiſsimum CAROLI *reditum.*

UT læti excipiunt poſt longa ſilentia Solem
Gens Arctoa, quibus lethalem incuſſerat abſens
Horrorem, & primum venerantur Amabile lumen,
Quod gratum alternis erroribus ambulat, ut non
Ignibus accenſis ſit opus ſimulare diei
Vultum, ſic omnes reduci Tibi, Carole, plaudant,
Impia qui æternâ ſolviſti ſecula nocte.
At veniam errori petimus, namque ordine verſo,
Regis ad exemplum ſubducto lumine Phœbus
Gratior aſſurgit, Majeſtatémque ſerenat.
Non hominem accipimus qualem inclementia Fati
Indicat, at cœli conſortem, & Numine plenum.
Emenſis tandem curis non Principe dignis,
Carole, gratus ades (noſtri mora longa laboris)
Exultant iuvenésque ſenésque, uno ore ſalutant,
Et Capiti accedunt proprio ſuo diſſita membra.
Angligenis rediit ſpes longa, at certa, Coronam
Nec dedignatur Capiti præcingere ſacro,
Quam conculcatam pedibus tenuere profani.
Quid quòd amor patriæ diademate fortiùs urget,
Vendicet ut miſeram ſatis, exutísque tyrannis
Expiet, horrendæ pietatis fraude retectâ.
Quòd facis ut belli portæ compagibus arctis
Claudantur, nulli pietas fucatâ pl ceret,
Denique quòd leges Tu fers æquásque bonásque,
Omnia debemus Tibi, Carole Magne, Deóque.
Sub quo Pierides ſunt otia libera nactæ,
Sub quo lætantur Muſæ atque Heliconis alumni,
Sub quo priſca fides, Aſtræáque Diva reviſunt
Anglos, & longo ſolvuntur ſec'la timore.

O

O mens! quæ ſtabili vice cuncta tueris, & amplæ
Motibus incertis moderaris Materiaï,
Ornatúmque jubes nutu conſiſtere mundum,
Quem nox atra priùs, tenebræ & texêre profundæ,
Spargat ut immenſi dictamina Numinis ordo;
Quotquot te mirantur, amant, venerantur, adorant,
Amplexántur opus, tentántque effundere laudes.
Chordis tenſa Chelys, quâ murmura dulcia reddit
Uniſonis, aptátque ſuis reſponſa querelis,
Pulſa utcunque humili digito indoctóque tacere
Neſcit & alternas ceu palpitat arte loquelas.
Dicite vos liquidi Expanſi per inane volucres
Quæ ſtreperis vectæ, luſu contenditis alis,
Si quid adhuc ſpiret ſubmiſſo murmure fraudis
Proditor, incoctúmve ſuo ſub pectore verſet
Conſilium (verbi quæ vis antiqui) Malignum,
Aut fortè in Domini vitam, quódve abſit, honorem.
Te Deus incolumem ſervet, Divúmque Parentem
Faxit ut accedas, poſtquam hunc expreſſeris, oro
Seriùs in cœlum aſcendas, ducásque triumphos,
Aligeros inter pueros, ſanctúmque Senatum.

F. Marſh, Caio-Gonv. Soc.

CArole, deliciæ noſtræ, gratiſſimus hoſpes
In patrias oras, ad tua regna redis;
Et tecum profugos plauſus, inſuetáque dudum
In noſtrum revehis gaudia vera ſolum.
Sed quis Te, nobis grato venerabilis hymno,
Lætos efficiens attonitósque ſimul,

Ducit

Ducit in optatos adverſo flumine portus,
Contra ventorum vim fremitúmque maris,
Poſt ſpes eluſas, conamina vana Tuorum,
Noſtráque poſt toties irrita vota, Deus?
Auſpice quo tandem viciſti obſtantia fata,
Fortunæ rabiem perfidiámque tuæ?
Gens animis numeróque ferox, Gens neſcia frangi
Flectitur ad juſſus officioſa tuos:
Fœdere quos junxit dominandi inſana cupido
Fudit juſtitiæ nomen inerme duces;
Et lymphata novis plebs turpiter excidit auſis,
Jure tuam cauſam, júsque tuente Deo:
Non telis confoſſa tuis, non enſe reciſa,
Sed ruit improbitas pondere victa ſuo.
Impenſè nos tam facilis victoria, nullâ
Clade, nec hoſtili ſanguine mœſta, juvat.
Quòd noſtrum non per congeſta cadavera Regem, &
Imperii, cædes, omina fœda novi,
Sed placidâ pompâ ſecum feſtiva trahentem
Agmina, dat nobis numinis alma manus.
Ut, quibus auſpiciis pacata recepit, iiſdem
Perpetuò ſervet mitia ſceptra, precor;
Pérque eadem longum ducat miracula curſum,
Donec honoratum ſera ſenecta caput
In cœlum vehat, & cinctum majore coronâ
Miſceat Heroum, Semideúmque choro.

Guil. Lynnett, Coll. Trin. Socius.

ANno ſecundo, poſt decem, regni ſui
Regnare cœpit optimus Rex Carolus;

Regnarè porrò pergat, anno ut quolibet
Videatur incipere recens ob gaudium:
Serò quod iniit, exeat serò precor.

Idem.

Ad Serenissimum CAROLUM, Angliæ, Scotiæ, Franciæ, & Hiberniæ *Regem*, *Fidei Defensorem, de triumphata tyrannide & Barbarie Gratulatio.*

SIquid habent læti, pax, & concordia sacra,
Sopitæque iræ, sedatáque tristia bella,
Firmatæ regni vires, legúmque potestas,
Et pietas rediviva, & rerum pristinus ordo,
Si quid habent læti, totum id Tibi, CAROLE, totum
Debemus. Nam Te dum vis auderet iniqua
Sedibus à Patriis, & Avitis pellere Sceptris,
Quæ rerum facies? Quæ non mala sensimus *Angli*?
Cerbream plebis rabiem, *Typhonia* bella,
Eumenidum plagas, *Harpyarúm*que rapaces
Ungues; ipse *Orcus* totas effuderat iras.
Mars Themidos cathedram ferus occupat, Ignis & ensis
Jura dabant populis, imbellis turba sub hasta
Venîmus, propriis victrix gens occidit armis.
Omnia fracta jacent, in se collapsa reclinat
Anglia, turbati proceres cum plebe volutant,
Cum populo Clerus; nec Te tua *Carole dive*
Truncatum pietas, aut insula regia texit,
Quid tandem intactum? Quàm è multis pauca reliquit
Sacrilega impietas? ruere alto è culmine visæ

Cecro-

Cecropiæque arces, *Solymæque* palatia ſanctæ.
Relligio tam nulla fuit, quàm plurima; quiſque
Et pius ipſe ſibi, atque alios apud impius omnes.
Nempe pium, ſævire armis, corradere nummos,
Diripere, & jugulare, fuit; ſed ſiqua nec ultrò
Cederet his Sanctis, non ſancta atque impia turba eſt.
O *Chriſti* gentem! O *ſacri* præludia *Regni*!
Tu verò reducem pietatem, atq; integra jura,
Et decus imperii, & juſti fundamina Sceptri,
Et pacem, & pacis latè manantia dona,
Omnia Tecum adfers. Faxit Pater Optimus, ut Te
Serior ad Superos & mitior aura reducat.

Guil. Leigh, A. M. C. C. S.

In Auſpicatiſsimum & Deſideratiſsimum Sereniſsimi Regis CAROLI *in Angliam reditum.*

ITe graves curæ, mœſtæque ſilentia noctis,
Et metus, & tenebris triſtibus apte dolor:
Læta dies tandem, ſemotâ nube, refulget,
Et noſtro profugum regnat in orbe Jubar;
Feſtivo, circum reſonantia compita, plauſu
Solenni incedit ſplendida pompa gradu;
Longævi patres, obliti tædia vitæ,
Gaudent ad fauſtum hunc ſe ſupereſſe diem,
Et juvenum chorus, ad felicia tempora natus,
Aurea, non dubiâ ſpe, ſibi sec'la creat;
Lignea congeries, per totum lucida cœlum,
Vivida teſtatur gaudia morte ſuâ;

Evaſiſſe ſuum ſtrepitu campana periclum,
Non jam tormentis excrucianda, docet;
Ipsáque, nè mirere, almam tormenta ſalutem,
Innocuo tantùm pulvere fœta, ſonant;
Et placidè ſpirans, æternæ nuntia pacis,
Martia ſupremâ buccina voce canit.
Gaudia ſic Tecum, dudum fugitiva, reducis
CAROLE, ſpes populi deliciæque tui.
Hoc tua nos docuit fidis abſentia ſignis,
Felices, ſine Te, non licet eſſe tuos;
Orba ſuo quàm non lætetur Rege, nec unquam,
Anglia veſtra ſuis floreat abſque roſis;
Quas præceps patrio tempeſtas extulit horto,
Cunctantis Boreæ mitior aura refert:
Irrorante Deo, vigeant radicibus altis,
Et nos fragranti ſemper odore juvent;
Cúmque illis creſcat pietas, concordia, virtus,
Jus, amor; his comites laus tua, noſtra ſalus.

Guil. Diſney, Coll. Trin. Socius.

Ad Auguſtiſſimum Principem CAROLUM II:
ad Anglos *è* Batavia *poſtliminio reverſurum.*

PEnè occupatam ſeditionibus
Miles ſuperbus fuderat Angliam:
Lis penè diviſos Britannos
Fecerat opprobrium perenne:
Quàm penè ceſſit fluctibus obruta,
Gens ſacra quondam: Jam lacerum caput,
Crinésque proh turpis! lacertos
Pendula! ceu moribundalanguet:

Noſtróque

Noſtróque prorſus crimine percitum,
Cœlo tonantem credidimus Deum;
Igníſque proruptus, tot annis
(Vidimus) heu reprimi nequivit:
Nec dum litatum eſt: Acceleres gradum,
Sublimis Exul, De Batavûm ſinu
Spes omnis eſt noſtræ ſalutis;
Hinc veniet Medicina ſola.
Quin Patris adſis æmule Regii,
Fractámque plebem reſtituas tuam
Ter ample Princeps: Tu Coronæ
Par triplici potes eſſe ſolus:
Rebus profanis ſed pariter Sacris
Affer medelam; Solus enim potes:
Tot ipſe perpeſſus dolores
Par miſeris ſubeas levamen:
Reſume Sceptrum: mox ubi publicas
Res ordinâris, Armáque fregeris,
Fratrúmque Paſtorum diremptis
Diſſidiis dederis malorum
Finem: Beati Principis & domûs
Perauſpicatæ, Nominis & Sacri
Sceptríque trans æquor verendi,
Vovimus, haud erit uſque Finis.

Gulielmus Duncombe,

Coll. Regal. Soc.

Auguſtiſsimo Regi ſuo reditum gratulatur
BRITANNIA.

QUin luctuoſas, *Carole*, poſt moras
Ovantis almos in patriæ ſinus
Dignaris acceſſum, mearum
Vita, ſalus, medicina rerum?
An vota pro te ſæpiùs irrita
Flexere tandem difficiles Deos,
Aut ira cœli ſponte noſtris
Detumuit ſatiata pœnis?
Sive iſta ſati mens placidi fuit
Mundum regentis lumine provido,
Quid debeant monſtrare veſtro
Noſtra ſalus requiésque regno;
Ut corruentis præcipitem manu
Vim ſuſtineres imperii tuâ,
Veſtrámque dextram poſtulantes
Charior acciperes habenas?
Quiſquis revexit, ſeu bonus ad preces,
Seu juſtus ille eſt, ſeu ſapiens Deus,
Cujus pro inde amplum favorem
Gratifico celebramus ore;
Quàm ut lingua dignis vocibus exprimat,
Depingat aptis penna coloribus,
Mens aſſequatur ſentiendo,
Littora gratior hæc reviſis:
Ceu poſt furentis ſqualida Sirii
Fœcundus imber regna, ſalubribus
Permiſtus auris, ceu benigni
Poſt hyemes Zephyri ſeveras;

Ceu

Ceu, navitæ nox horrida quem vago,
Aut nocte nubes horridior, ferâ
Prægnans procellâ, ſuſtulerunt,
Aurea ſtella polum revelans;
Ceu delicato qui ſopor impetu
In membra blandus languida defluit,
Quæ dira febris vis acutæ,
Vel vigiles domuere curæ;
Diu quod ægro reddita ſanitas,
Incarcerato liberior locus,
Aut lumen orbo reſtitutum,
Vita vel ipſa redux ſepulto;
Seu ſub moleſta ſorte gementibus
Mortalibus quid gratius accidit,
Noſtræ levem pro te recepto
Lætitiæ ſimulabit umbram.
Nec ficta mœſto pectore gaudia,
Tyrannicæ delata potentiæ
Effundimus, queis imbecilla
Signa pudor pavidus miniſtrat
Sed quæ per imas vivida jubila
Serpunt medullas, riſibus obtegunt
Vultus ſerenos, ora ſolvunt
Garrula lætificis ſuſurris.
Exuberanti mox ſuper alveos
Sublata curſu, ac agmine confluo
Denſata, teſtos in triumphos
Proſiliunt, alacréſque plauſus;
Queis nulla gens perſenſit adhuc pares,
Sec'lis nec unquam noſtra prioribus,
Olímque nobis contigiſſe
Poſteritas memor invidebit.

En quo revertentem tuba publicat
Clamoſa famæ ; quòd pius Ordinum
Conſenſus agnoſcit Tuum jus,
Officium proprium fatetur ;
Rex vivat, ultro perſonat omnia ;
Vox illa totam ſola per Angliam
Auditur, ut ſola audiatur,
Continuâ replicatur Echo.
Qui flagrat ardor pectore civium,
Teſtantur altæ perſpicuò ſtrues,
Regnare non paſſæ tenebras,
Te profugam referente lucem.
Campanulæ non immemores ſui,
Quod imminebat martyrii, ſonis
Nos æmulantur ; nè liquentur
Motibus immodicis, veremur.
Clangore non jam mortifero minax
Accendit iras buccina Martias,
Subindè ſemper provocabit
Pacifico ſtrepitu quietem.
Quin & triſulci fulminis æmula,
Miniſtra lethi machina, fulgura
Jucunda ſpirans, ore blandam
Detonat innocuo ſalutem.
Incedit agmen purpureum ; ſenes
Queis plurimos gratiſſimus hic dies
Annos reduxit ; queis fugatâ
Canitie revireſcit ætas ;
En membra priſcus pigra calor rapit ;
Ducunt vietis poplitibus choros ;
Sub Rege tanto quiſque vitæ
Neſtoreum ſibi ſperat ævum ;

Vidiſſe

Vidiſſe vobis tempora ſufficit
Tam læta, Patres; tradite poſteris
Fruenda, quos funeſta duri
Secula progenuere ferri;
Queis flos juventæ corporis integras
Vires miniſtrat; queis animi pares
Plenam voluptatem beati
Percipiant, ſapiántque regni.
Sed quò catervas virgineas trahit
Vis immodeſtæ lætitiæ? reor
Amore Regem deperire,
Ulla nec abnueret maritum.
At ſplendidæ miracula maxima
Pompæ, ſuperbos conſpice milites,
Victos ſe agentes in triumphum,
Quòd fuerint ſuperati, orantes.
Conſpirat omnis plauſibus impigris,
Ac certat ordo; mentis & indices
Expertus omnes, exprimendæ
Organa plura deeſſe mœret.
Nec vana gentem, brutáque gaudia
Jactant, furenti ſydere percitam,
Mercede ſummâ gratulantur,
Eximiâ ratione ducti.
Pungit recurrens præteriti mali
Senſus, futuri ſpes acuit boni,
Ac fortior vis præpotenti
Dulcis amor ſtimulo laceſſit.
Cui mille flammas conciliant faces:
Præclara ſtirpis nobilitas, genus
Illuſtrium quo priſca Regum
Stemmata conſociata fulgent:

Quo neminem regnante pudet regi;
Ut nec gubernanti Jove cœlites
Servire, dum prolem Gigantes
Terrigenam dominos recuſant:
Quæ celſior natalibus eminet
Virtus, faventis progenies poli,
Alumna dedignantis, aſtris
Mitibus orta, probata ſævis;
Fortuna quam non terruit aſpera,
Nec dura fati fregit iniquitas,
Adverſa conſtanter ferendo
Proſpera, quæ merùit, refértque.
Quis neſcit inſignem ſapientiam,
Benignitatem, juſtitiam, fidem,
Quas grata linguâ conſonanti
Fama, minor merito, celebrat?
Sis quanta Divûm cura, periculis
Tantis ſuperſtes, cædibus ac fugis
Oſtendis; armis impetitus
Hoſtium, & inſidiis tuorum.
Tam ſtirpe clarum, ſanguine Regium;
Virtutibus tam conſpicuum, Deo
Te ſic amicum, *Carole*, ulnis
Suſcipit Anglia veſtra pronis.
Vult ſceptra magni terna vibres patris,
Virtute, ſed non ſorte pari: ſuas
Injurias in te futuris
Obſequiis reparare geſtit.
Tuam obſoletis vulneribus manum
Vult admoveri; te petit unicum
Pæana, pluris pendet illam,
Quam tibi debuerit, ſalutem.

Triden-

Tridente fluctus non alio suos
Quàm Carolino compositos cupit,
Te sola dispensante pax est
Belligeræ placitura genti.
Concussa monstris hæresium fides
Defensionem sollicitat tuam,
Qui jure possis solus illam, &
Indè tuum titulum tueri.
Exposcit à te Ecclesia vindice,
Vulgi profanis læsa furoribus,
Exuta, conculcata, fracta
Jura, decus, reditus, quietem.
Tecum reverti participes tui
Leges requirunt exilii, fera
Necessitas exterminetur,
Unica lex, sine lege, nuper.
Festiviori Pierius chorus
Torrente plausûs excipiet suum
Regem, parentem, spem, patronum,
Delicium, columénque summum;
Cui tot per annos vita precariò,
Traducta, jugi objecta periculo,
Evasit usque ægrè superstes
Præda lupos facilis rapaces:
Jam cor refectum spiritus ingruit,
Effert in auras intrepidum caput,
Emortuo dudum recentem
Concipit ingenio vigorem.
Tutus sub umbra præsidii tui,
Secura Musis dulcibus otia
Impendet, haud curans malignæ
Invidiam rabiémque plebis.

En plectra docto pollice temperat,
At voce fauſtâ encomia perſonat
Lætúmque certatim canoris
Indiciis animum fatetur;
Non qualis olim carmine languido
Turpes Tyrannos exciperet, metu
Cogente, fucatísque veros
Lætitiis gemitus recondens.
Quos inter imâ claſſe ſedens, rudi
Fretus Camœnâ, non humili tamen
Accenſus affectu, Tonanti
Soſpite Te pia vota fundo.
Quòd te reduxit, ſpe citiùs tuâ
Noſtrâque, contra non ſuperabiles,
Humana ſi ſpectamus, ullis
Conſiliis, operísque cauſas;
Adversùs œſtrum immane potentiæ,
Armis & iris, ac odiis feræ,
Firmaverant quæ pertinaces
Ambitio ſimul & cupido;
Poſt ſpes retuſas, deciduas opes,
Fractásq; tot ſucceſſibus aſperis
Vires tuorum, quum nec ultrà
Sufficerent animi fideles;
Sudore nullo, aut pulvere ſordidum,
Nullo madentem ſanguine civium,
Nec clade funeſtâ auſpicati
Inficiente decus triumphi;
Solos per hoſtes de ſpoliis tuis
Tumultuantes; æſtibus ut ratem
Contrariis, aurísque tractam
Regna tuos in avita portus,

Con-

Conſervet idem, dirigat, augeat.
Virtute numen, conſiliis, ope
Vitam tuam, mentem, coronam
Incolumem, ſtabilem, perennem.
Diſtracta per te regna redintegret,
Concuſſa firmo robore fulciat,
Collapſa reſtauret, potente
Suſtineat ruitura dextrâ;
Exhauſta per te divite copiâ
Perfundat, apto digerat ordine
Confuſa, corruptis nitorem
Reſtituat, dubiis quietem;
Exulceratas corrigat, aſperas
Leni medelâ mitiget, æmulas
Mentes reponat, ſedet iras,
Conciliétque odiis amores;
Tollat querelas juſtitiâ, fidem
Et veritatem promoveat piam,
Sanctósque mores, quos creârit
Relligione ſubacta virtus;
Et quicquid amplo nomine continet
Felicitas, tecum redeat, tuis
Juſſis & exemplis ſacratum,
Conſiliis opibúsque tutum.
Hæc vexet hoſtes ultio Regia
Injuriarum, reddere, ſi volunt
Ipſi, beatos, pœnitentes
Ex animo, egregiè fideles.
Sic uberes, quam pertulimus, licet
Fructus reportemus patientiæ
Utrique; Tu regno diu, nos
Rege diutiùs indigentes.

Sic ſerus, ut nunc, ſemper habebere
Ad nos reductus; ſic reditum tuum
Vincente præſentem profunda
Poſteritas recolet triumpho.
Qui plauſus intrantem præiit, comes
Sit poſſidenti ſemper, acerbior
Sed exeuntem proſequatur,
Poſt celeberrima regna, luctus.

Iſaac. Barrow, Trin. coll. Soc.

Εἰς ὑπφανέσατον καὶ σιβασότατον τὴν Βασιλέων ΚΑΡΟΛΟΝ τὸν δεύτερον.

Χαῖρε χάεις, ζωόντε, φόως τ' Ἀγγλῶν μεγαθύμων.
Χαῖρε φίλη κεφαλὴ, μεγάλων μέγα κῦδος ἀνάκτων
Χαῖρε νόμων βάθεον, σεμνόμιά τε παγχίδος αἴης.
Δινήθη τυπάεσιθε περίῤῥυτος ἐν ἁλὶ νῆσος,
Οὐκ ἀναπαυομένη, ἀλλ' ἐσρέετ' ἔνθα καὶ ἔνθα·
Σεῦ δ' ὑπβάντος ἀπημοσυλίω λαίχεν ἰουχάντε,
Ὡς ποτὲ Δῆλον ἄναξ ἱδρύσατο φοῖβος Ἀπόλλων,
Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη. Σὺ γὰ μῦνος ἄναστε
Ὅλκιος, ὐυδαίμων, πάντων βασιλεύτατος ἄλλων
Τῇ σοφίῃ τ' ἀρετῇ τε· δίκῃ δ' ἴθυνε θέμισας
Αἰὲν ἀείσευσιν, ὄφρα συνίῃσι καὶ ἄλλος
Ἴσην σοὶ φάσθαι καὶ ὁμοιωθήμεναι ἄντιον.
Ἔκδηλος μετὰ πᾶσιν ἔσῃ, καθαρῇσι φαείνων
Ἀκτίνεσσι, φάος τερπόμενον, ὡς γεγαῶτι
Σοὶ ποτὲ ἀρπφανὴς ὑπέφαινε μεσημβρινὸς ἀστὴρ.
Σεῖο ἐφιζαμένοιο, τεῖος κλέος ἔσσετο ἐσθλὸν
Γαίης, καὶ κῦδος ἀρείσιον, ὅσσ' τις ἄλλη
Νήσοις ἐν πάσῃσι, βασιλίσιν ὑπφερίζει.

Guilielm. Godman, S. T. B.
Coll. Regal. Socius.

De

De reditu in Patriam Sereniſsimi CAROLI II, Angliæ, *&c. Regis, Carmen gratulatorium.*

UT quos luciſugæ longùm tenuêre cavernæ
Captivos, ſubitos quamprimùm mira ſalutat
Et peregrina Dies, revocant properanter ocellos
Attonitos, nimiíque minùs patientia Cœli
Suffuſi totas ducunt in lumina frontes:
Haud aliter primùm victricia gaudia capti
Mentibus excipimus: neq; enim vel ferre poteſtas
Uſque adeò lætam, vel non admittere ſortem.
Præteritam trepidâ ætatem quùm mente revolvo,
Ætatem quæ paſſa diu clámque incubum Avernum,
Tot ſcelerum Empuſas, Stygios enixáq; partus
Nuper erat: vix ulla fugæ vel meta timoris:
Hæret at ereptis ſenſus memor uſq; malorum,
Atque novam patimur reflexo vulnere ſtragem.
Quàm piget armatas dudum meminiſſe rapinas,
Abſorptas & opes, direptos cuique Penates,
Conſcriptóſq; hoſtes & iniquo fœdere junctos,
Omnibus & quidvis præter jus fáſque licere!
Parva queror: Domini Sacra interdicta ſupremi,
Diruta templa, ſuis aut condemnata ruinis
Vidimus, & vacuas (eheu quòd vidimus!) Aras.
Horreo quod ſupereſt, párſq; eſt invicta doloris
Infamem Patriæ cædem memorâſſe Parentis,
Principem & invitis bis pulſum finibus orbum.
Ah! quibus aut precibus, lachrymis, aut munere tantum,
Quóve ſcelus jugulo purgabimus? Oro litantes
Acceptet Deus, & jam quæ toleravimus unquam
Te Mercede placent (Rex Auguſtiſſime) Solo.

Aucti

Aucti ætate novâ nigros transmisimus annos,
Et cum brumali squalorem abjecimus umbrâ.
Propria quin sævas in viscera ponimus iras;
Dedidicit rabiem ferrum. Paulò ante minaces
Et Domini incerti, adventûs rumore recepto,
Æolii fratres leges subiere quieti,
Mordent fræna, Tibi & Pelagi dant nomina Regi.
Quàm citò vel famæ quævis siluere querelæ
Majestate Tuæ, velut olim Cæsaris ore
Murmura ranarum, quæ jussa silentia servant.
Fasces exultant reduces, dignatáque terras
Huc postliminio redit alta Antistita juris.
Lætitiæ se quisq; parat, sibi quisq; Cothurnos
Exuit; éstque dies prima hæc & limina vitæ.
Sic ades afflictis rebus Medicina, recisis
Vita, reis venia, exhaustis nova copia, cœptis
Spes, requies lassis, miseris solamen, asylum
Oppressis, meritis sua præmia, regula curvis;
Omnibus una salus. Nec quid desideret ultrà
Anglus habet, nisi Te salvum Regémq; perennem.

Hæc cecinit, cætera precatur Guil. Forster,
M. A. C. E. S.

In exoptatissimum CAROLI Regis ad suos reditum.

PUlchrior auspiciis modò se felicibus annus
Induit, Immensas jactantior Anglia pompas
Explicat, & solo, qui spectat, Rege minores.
Carole suspensam, quoties spem garrula lusit
Fama? Tuis omni veniens dum crederis horâ;
Quos animat, miseros necat exspectatio cives.

Non

ad Carolum II *reducem.*

Non tulimus pigra cunctantes mole carinas,
Nec caput incertis tantum committere ventis,
Aut fidei Neptune tuæ. Tamen æquora tuta
Emensus, redit incolumis tuus (Anglia) Princeps,
Totus adest oculis, dubiâ quem mente petebas;
Cerne characteres, notámque agnosce figuram,
Mite supercilii jubar, & nitor igneus oris
Regalem Archetypi tibi spondent εἰκόνα Patris.
Compita gratantis populi sunt plena, coarctat
Turba frequens venientis iter, velut agmine juncto
Quem toties voluit, cursum præcludit eunti.
Patricii venêre senes, longissimus ordo
Heroum densus juvenum globus obvius ivit,
Dum cupiunt vivâ Regem redimire Coronâ;
Raucas attollunt voces, ferit æthera clamor
Ceu modò donatum terris immisceat astris.
Jam Protectorum sileantur ludicra Regna;
Jam personati Reges, fictæq; *Suprema*
Curia justitiæ, & castrati *Cauda* Senatûs;
Et *bona causa vetus*, tantorum heu causa malorum.
Et *Libertatis* sublatæ (nomina vana)
Custodes, tremulíque gregis fanatica turba.

Quæ tibi sed nostræ (Rex Augustissime) Musæ
Præmia persolvant? stupor est quo tanta coluntur
Numina, quos jussit pietas compressit honores.
Crescite nunc Artes, pressæque resurgite Musæ;
Nil licet indoctis, viduo est Lux reddita coelo,
Et sacras tutatur, amat quas Carolus Arces.

R. Bloys, Trin. Coll. A. M.

In exoptatissimum CAROLI II, *ad suos è Postliminio reditum.*

QUis credat? Carolus rediit! longissimus exul
In patriam remeat, fertur & in solium.
Scilicet, in melius rarò mutabile vulgus
Cœpit ab expertis jam sapuisse malis.
Cromwelli sat sensit onus, mutilíq; Senatûs;
Ut, capite abscisso, cætera truncus erat.
Nec pax, nec pietas viguit; jus arbiter ensis
Decrevit; Sceptrum nil nisi virga fuit:
Sic oppressa diu stetit Anglia, vincta catenis,
Quas nec ferre potis, nec potis excutere.
Cùm verò miseris non fulsit spes redeundi
In decus antiquum, ni Deus ipse daret:
En! Deus ipse dedit; micat ex Aquilone salutis
Omen, nec vano fallimur augurio.
Monkius agnoscit Dominum, violatáq; jura
Vindicat, indomitos cogit ad obsequium.
Quin & cogat adhuc; quotquot clementia Regis
Non suadere queat, flectat ut ira Ducis.

Joh. Wilson, S. T. B. Coll. Regin. Soc.

In Serenissimum Regem CAROLUM II, *in sua Regna Reducem.*

QUò ruitis, cujus violento syderis ictu
Afflati cives? quid sibi tanta volunt
Gaudia festivo strepitu complentia mundum,
Sub tacita mœstus qui modò nube fuit?

Fallor?

ad Carolum II *reducem.*

Fallor? an ut meritò videamur plaudere, tandem
Dilectum populis, Carole, nomen ades?
Tam citò, tam facilè, tam prono flumine; credam?
Vel ludunt animum somnia vana meum?
Credo lubens; quid enim fati sæviret iniqui
Semper in immeriti Principis ira caput?
Sórsque jocos faceret, quo nil illustrius usquam
Sanguine, vel meritis altius orbis habet?
Cui lex nascendi debet tria regna, meretur
Virtus plura; favent & modò fata, dabit.
Interea dextro quæ numine sceptra resumis
Regia, prudenti sic moderare manu;
Ut redeant tecum distractis unio regnis,
Pax firma, atque diu mutuus exul amor;
Ordo incompositis, exhaustis copia; priscus
Fædatísque nitor, debilibúsque vigor.
Pulsa revertatur legum reverentia; primum
Obtineant tecum reddita jura locum;
Libera relligio, nullísque coercita crescat
Finibus, & cœlum, si volet ipsa, petat.
Súbque tuo placidæ vigeant tutamine Musæ,
Ut gratâ semper, quâ modò, voce canant.
Sic serò nobis ad vota videbere nostra,
Ast opportunè ad commoda nostra redux.

Gualt. Catstry, Coll. Trin. Soc.

In reditum atque Inaugurationem Caroli II.

SI (veluti curæ sic) gaudia parva loquuntur,
Magna silent; hodie linguam compescere præstat,

Attonitúmque ſtupere novi miracula ſec'li,
Quàm fando oſtentare leves pro Rege triumphos.
Sic ego, ſic faciam: reliqui dum carmina pangunt,
Et Pæana canunt; ſtabo (mea gaudia teſtans)
Mutus & attonitus. Quid enim ſi dixero numen
Nobis nunc miſiſſe virum quem regia virtus,
Et generis ſplendor, natura, & ſanguinis ordo
Finxit ad imperium? variis quem longa procellis
Exploravit hyems: miris quem ſæpe periclis
Eripuit de nube manus, dederítq; probatum
Utraque ſors: Britonum quem lex & publica vota,
Celſi animi dotes, majeſtas corporis, ingens
Relligio & pietas, deſignant omnia Regem?
Regem tunc nobis reducem, cùm notus Iberis,
Germanis, Galliſq; priùs Belgiſq; fuiſſet:
Unde per Heſperias jam latè fulgidus oras,
Terrorémve ſui vel amorem injecerat orbi?
Hæc ubi de Carolo fuerim tot tanta locutus;
Nil dixi, obſtupui: tot adhuc dicenda ſuperſunt.

Fac. Spering, S. T. B. Coll. Regin. Soc.

Gratulatio de reditu deſideratiſsimo Sereniſsimi Invictiſsimíque Principis CAROLI, *Dei Gratiâ, Angliæ, Scotiæ, Franciæ, & Hiberniæ, Regis, Fidei Defenſoris, &c.*

SEcretum tandem gemitum, & dediſce querelas
Comites doloris nuperi;
Nec metuas ultrà, quos dira vocârat ad arma
Amor Dei præpoſterus;

Nec

Nec quos præcipites dominandi immenſa cupido
Scelus per omne traxerat,
Conſervata, Deo miſerante, Britannia, Regi;
Deo ſalutis auſpice.
Nulla Jovi pluvio ſic ſupplicat herba, furente
Siticuloſa Sirio;
Nec ſic exoptat periturus navita portum,
Deos fatigans incolas,
Condit ubi Lunam nubes, atq; unda carinam;
Vitiſve conjugem petit
Ulmum, vel cœlum flammæ, vel pondera terram:
Tuum ut jubar tua Anglia
Suſpirat nebuloſa, ex quo Libitina Parentem
Cepit tuúmque & Patriæ.
Aurea fortunæ reduci ſi templa priores
Romæ receptos ob Duces
Grati ſacrârint, quo publica munere cura,
Honore quod plenum ſiet,
Æternare tuas virtutes, Carole, tendat?
Moles quid omnis regia
Claris nominibus, quid nobilis addat imago?
Vetant Camœnæ Principem
Dignum laude mori, ſolæ, tua cura, Camœnæ:
(Dictura quamvis optimum
Te ſit ſera ætas, donec cœlum aſtra relinquant,
Nullâ juvante Pallade)
Quin, tumidæ Muſæ, paulò leviora canamus.
Nunc abſonum eſt, quod ſerium.
Nonne vides hilares ut narrant gaudia vultus,
(Quæ præſtat eloquentia)
Plurimáque in ſummos quæ teda relucet honores,
Interpres ut ſit mentium?

Arſimus exactorum odio, ſed Regis amore
Pio illo honeſtóque arſimus.
Hos ſoles igitur melior diſtinguat ab illis
Carbone ſignandis lapis:
Dúmque extorquetur Catilinæ ſica revicto,
Et publicus timor tremit,
Anglia tu nectas, quam des, ut ſceptra, coronam
Tuo gerendam Principi.
Sin minùs hoc, at vota piè concepta diebus
Jam nuncupentur in bonis.
Carolus Auguſto ſit utì felicior, & tu,
Qui dictus olim es optimus,
Hoc uno, Trajane, minor cogare vocari;
Qui temperat Britannias,
Orcadas & Thulen, & quicquid viſitur Arcto,
Et nocte contentum eſt brevi.
Illius ut geminum vel claudat dextera Janum,
Pacem reportans exulem,
Felici miſeros vel Marte coerceat hoſtes,
Prædáſque opimas dividat:
Ut ſerò ſceptrum Albionis vivacior hæres,
E ſtirpe prognatus regiâ,
Excipiat dextro lætiſſimus omine, ſacro
Nunquam relapſurum è loco.

Andr. Yardley, Trin Coll.

In Sereniſſimum CAROLUM *ſecundum.*

FLevimus heu triſtes florentis funera regni,
Fœdatas miſerè cognato ſanguine dextras,

Fúsque

Fúsque datum ſceleri, ſceleris pretium diadema,
Et leges gladio victas, & ſceptra ligone,
Succiſásque Roſas Socias (quarum una cruore
Sacro tincta rubet, marceſcens altera pallet;)
Et pavidam Matrem vix pocula ſacra tenentem,
Ac lucem tremulis manibus; temerata profanis
Sacra, pias fraudes, perjuria, furta, rapinas;
Cætera dum taceo, reputa, quæ caſtra ſequuntur.
En quò cœcus agit furor, & veſana cupido
Libertatis, opum; prætextus relligionis.
Hâc premimur longâ detenti nocte Britanni:
Sed tandem noſtris illucet Phoſphorus oris,
Auroram oſtendens extremo à margine cœli,
Et portas Soli paulatim pandit, at ille
Purpureus pede primo attingens limen Olympi
Omnia perfundit læto ſplendore; reſurgit
Anglia fronte novâ informes oblita ruinas.
Prima dies longos exemit mente dolores,
Delebunt belli veſtigiáque alta ſequentes.
Heu primum toties optatum redde, ſecunde
Carole, (namque potes) Patriæ virtutis imago;
Te Patrem Patriæ docet eſſe injuſta noverca.
Te redeunte, Tuis *redeant Saturnia regna,*
Priſca fides, veterum mores, pietáſque priorum.
Fruſtrà nec *metuant* mites *armenta leonum*;
Dumque *Roſæ fulgent inter ſua Lilia miſtæ,*
Aſſurgat nobis Genuina & pacis oliva.

Rob. Alſounder, A. M.

Coll. Eman. Soc.

ΣΩΞΤΡΑ *Cantabrigiensia*

Inauguratio Serenissimi CAROLI II, *Britanniæ Magnæ, Franciæ, & Hiberniæ,* Regis.

SCeptra Caledoniæ binis sociata coronis
Unus habes, validísque olim tot gentibus orbem
Partitum ditione tenes, tria regna Profundi
In solitum coiere ducem; te sponte salutat
Albion, atque suis gestit præponere fastis.
Parce tuis (Princeps) radiis, Phæbóque minori
Assuetas placidus da posse accedere Musas:
Quantus enim insolito jam majestatis honore
Fulget apex, Sceptríque jubar, quàm purpura patrem
Sponte suum agnoscit, gemmísque incendier ipsis
Gaudet, & erubuit sacrum violata pudorem.
Terrarum commune caput, quo sospite cœlum
Non potuit fastos pretio majore mereri.
Solus enim miseris poteras solatia rebus
Addere, & afflictis pariter succurrere regnis;
Quæ priùs (heu!) variè rapiebant ira, libido,
Multifidúmque nefas, atque inscia pectora justi.
Quanta tui dudum tulerant discrimina cives,
Quum Dominis sævire placet; non esse nocentem
Fit scelus, & nullo maculati crimine vitam
Opprobrio patuere novo, sic cuncta gubernant
Participes, scelerísque sui commercia quærunt.
Quorum per varios casus Fortuna jocatur,
Atque inconstanti ludit Mutatio vultu;
Spes vanas! firmam sine te quæsîsse medelam,
Nempe tuo stabilis debetur gloria regno.
Te junctis sequitur felix Concordia palmis,
Et currus comitata tuos incognita dudum
Gaudia, pacificísque quies circumvolat alis.

Sic

Sic decet ut nullæ veſtris (Rex Magne) triumphis
Irrepant tacitæ mala per civilia diræ:
Hæc nuper placuiſſe nefas, & crimine tanto
Agnovit veſtros regio quaſſata labores.
Sed tua per tantas (quàm ſplendida gemma) tenebras
Fortiùs emicuit virtus, & neſcia fuci
Relligio, triplicem en! ultrò calcâſſe coronam
Gaudebat, nec paſſa ſolo ſordeſcere mores.
Quis jam virtutis laudem, aut pietatis, & æqui
Privatum putat eſſe decus? tibi debita ſoli
Gloria, victorémque ſuum fortuna fatetur.
Integer ipſe redis, nullâ violabile pectus
Arte gerens: ſic te fortunam ſpargis in omnem,
Et miſeris exempla dabis: pompam aſpice tanti
Lætitiámque ſoli, piget ad tua plauſtra Bootes
Currit, & hæc tanti ſtupuit ſolennia regni.
Túque O cui ſoli velit ægida ponere ſupplex
Bellatrix tantúmque tibi manſueſcere virgo,
Quémque optet generum Tethys, des numina cœlo
Progeniémque tuam; tum cùm laſſata triumphis
Mens erit, & requiem cognatis quæret in aſtris,
Aſſuetos videas ſceptris dare jura nepotes.

Fr. Bridge, A. B. T. C.

In feliciſsimam CAROLI Secundi reſtitutionem.

Ela age nunc maleſana Atheorum turba, ſupremum
Eſſe aliquod numen, vel, quod concedit eôdem,
Eſſe ſupremo illi ſis inficiare ſagacem
Notitiam curàmve humanæ ſortis; & ire
Dic pote mortales nullo moderamine ſúsque

Déque per incertos casus. Deus ipse negotî
Nil habet in cœlis, nec terris exhibet ullum,
Nec bene promeritis flecti, nec tangier irâ
Numen iners poterit. Perjuri nempe, rebelles,
Fœdifragi, puro polluti sanguine dextras,
Sacrilegi quodcunque nefas impune tulere
Quisque suum; (sed enim nil credunt Rege perempto
Esse nefas) precibus longis prætexta rapina
Pingueſcit, nec fit pietas larvata bidental.
Exulat interea Princeps justúsque piúsque,
Nunc peregrinus ab his, nunc illis pulsus ab oris,
Pauperie, obloquio, sannis & mille laborat
Ærumnis, infracto animo tamen omnia vincens.
Esse Deos crédámne? malis sic fausta recondi,
Sic infesta bonis, hæc providâ cura Deorum est?
Quin os impurum cohibe, blasphema remorde
Verbáque lingua procax, numenq; fatere supremum,
Numinis immensi stat Carolus argumentum,
Carolus invictum: Cujus natalibus ecce
Prodroma stella fuit, surgentis nuncia solis,
Qui nostrum radiis olim perfunderet orbem,
Mane licet primo subductus nubibus atris.
Quémque Deus melior tot circumquaque petitum
Insidiis (tunc cum magnæ Wigornia mœrens
Viderat incassùm specimen virtutis in armis)
Per tamen obsessásque vias & milite denso
Occlusos portus intactum evadere, & usque
Defunctum tantis terrâque maríque periclis
Durare & rebus voluit servare secundis.
Cœlitùs has tandem nubes immissa procella
Ex Aquilone procul discussit, & indè salutis,
Undè priùs miseri creverunt semina belli.

Indè cluit pacis spes prima, & lucis origo.
Non sine prodigio, quod tanto sanguinis æstu
Tentatum frustrà toties fuit, ecce repentè
Vidimus effectum sine cæde & sanguine, faustis
Auspiciis unius: At ô Vir quantus is unus!
Quantus is unus erat, qui *nobis restituit rem*
Cunctando, venit, vidit, victisq; phalangas
Tot veteranorum multo victore superbas,
Justitiâ fretus causaï & numine dextro!
Sic pergat semper, Rex Augustissime, rebus
Invigilare tuis, sic sævos opprimat hostes
Propitium numen, longâ te pace coronet,
Quósque Patri magno (scelus infandum atq; tremendum!)
Annos præcîdit dirissima turba, refundat
Multiplices sceptri simul & virtutis ab asse
Hæredi. Postquam justa mercede fruuntur
Carnifices, sec'lisq; manent documenta futuris,
Quàm non incolumis, quantum sibi cunque videtur,
Improbitas armata stet; quamq; arbiter æquus
Humani generis nullum patiatur inultum
Ire nefas; neq; enim si distulit, abstulit iras.
Quámque labascenti semper fundamine nixa
Stet domus è templi sacris constructa ruinis,
Cui Regis fuit in cæmentum flebile sanguis,
Quàm non placandus fuso sine sanguine sanguis!
Sed tua, Rex invicte, domus fundata columnis
Justitiæ veríq; simul, magniq; Parentis
Martyrio firmata in secula mille perennet.

Tho. Leigh,
A. M. C. Emm. Soc.

Σωτηρια *Cantabrigienſia.*

Ad Regem poſt bellum civile reducem.

O Felix quæ Te vel ſic videt Anglia! ſolo
Pro Te ſollicita eſt, ſanguine merſa ſuo.
Te, deſiderium populi, gentíſque togatæ,
Vendicat, heu tandem, Martia turba ſibi.
Cedite, ſi pudor eſt, civilia bella merentur
Si bene de vobis, cedite, Cæſar adeſt.
Volvimur ante pedes pariter juveníſq; ſenéxque,
Pannosúsque puer, purpureúsque pater.
Sola ſalus ſervire Tibi, nimis alta ſiniſtræ
Civilis, poſcunt vulnera Regis opem.
Inter victorem victúmque extrema malorum
Vidimus, iſte ſcelus fecit, & ille tulit.

Hactenus Anglorum ſuſpiria, verba precésque,
Nunc demum excipias, *Carole vive diu.*
Vicimus O ſocii, votis poſcentibus impar
Miles, jam tandem cedere diſce togæ;
Nóſq; triumphemus, ludat convitia vulgus,
Qualia Roma vetus, linguáque ſacra ſonat.

Sævi victor adhuc, caput hoc reſcinde ſecuri;
Nobilius, te vel rege, cadaver erit.

Bella geras poſthac juſtos habitura triumphos,
Hoc tibi quàm vinci vincere pejus erat.

O pulchras belli cauſas! Pars victa triumphat,
Et victrix veniam corde trémente petit.

Conde novas victor leges, nova crimina finge,
Pelle fidem flammis, reſtibus, enſe, cruce;
Angli naturâ Regem didicêre magiſtrâ,
Haud ſecus atq; ſuum ſedula nôrit apis.

T. Gearing, Coll. Regal. Soc.

In

In reditum Regis Epigramma.

QUòd Carolus Carolo, Phœnix Phœnice renatus
Venerit in patrios, jam ſua regna, lares;
Immeritò laudem captant cum plebe Quirites,
Non erat hoc Procerum; ſed neque plebis opus.
It magno par Virgo Duci, quémque ille reduxit,
Servavit Regem gentibus illa tribus.
Ergò bees avidas, Rex Auguſtiſſime, terras,
Debetur capiti trina corona tuo.
Arma tibi pietas, faſces tibi jura miniſtrant,
Et pro vexillo ſtat popularis amor.
Semper eas victor ſine ſanguine, quâq; triumphes
Spondent perpetuam fœmina vírque fidem.

E. Foxcroft, M. A. Soc. Regal.

Auguſtiſsimo Regi Carolo II.

TE ſalvo, reduci, redimito, gaudia pango
Carole; verſiculis pagina quæque ſcatet.

Joann. Slader, M. A. Aul. Cath. Soc.

In feliciſsimum reditum Caroli II, *Angliæ, Scotiæ, Franciæ, & Hiberniæ, Regis potentiſsimi.*

SAlve feſta dies, roſeâ quæ lampade primùm,
Sydereo, & noſtri Cæſaris ore nites.
Aſpiciunt mundum jam ſydera læta Britannum,
Et vultu Phœbus ſplendidiore micat.

Quàm reditum expectat Regis læta Anglia, & ulnis
Obvia in occursum quàm cupit ire suis!
Victor felici tu (Carole) pace triumphas,
Agnoscunt Regem regna Britanna suum:
O longis quantus populi concursus ab oris,
Ut possint propiùs Cæsaris ore frui?
Eia venis, gentis fama Anglæ (Carole) & una
Spes patriæ, superûm pignora læta Deûm:
Nocte venire potes, quamvis descendat in undas
Sol, plaustra efficient vel Carolina diem.

In Illustrissimum Heroem MONKUM.

IO Patrono jam salva Britannia plaudit,
Debetur *Monki* gloria quanta tibi!
Quæ modò fatali fuerat propè lapsa ruinâ,
Heros tu patriæ maxime stator ades.
Iratis sapiens fatis dominare, potenti
Et rumpis fati stamina pulla manu.
Jus habet in Reges & Regum Parca Coronas,
Sed Deus in Parcas en tibi regna dedit!

Audoenus Hughes, Aul. Trin. Soc.

CAROLUS Redux.

TE reducem Carolum veneratur quisq; Britannus,
Solem adventantem sic uti Persa colit.
Hic gemmas, lapides, alter tibi protulit aurum,
Indiciúmq; animi fert tibi quisque sui.
Non mihi sunt gemmæ, non aurum, ast optima vota,
Quæ mihi sunt præstò, Rex tibi Summe, dabo.

Andreas Spencer, Art. Mag. Coll. Regal. Soc.

ad Carolum II *reducem.*

EXcidit ut clavo Carolus ſurgentibus undis,
Hinc reſupina jacet, perfluit indè rates.
Nec minùs emittit tranſtris malè fœda cruoris,
Quàm bibit ex alto fiſſa carina mari.
Antennæ reboant æſtu, vaga vela vacillant,
Præda fit inſanis naufraga puppis aquis.
Neptunum miſerâ, nec gratâ voce precamur,
Heu! fruſtrà ſuperis tendimus uſque manus.
Extinctum ob Carolum Neptunus acerba minatur,
Nulla placet Caroli ſanguine tincta manus.
Ergóne perpetuis undarum agitabimur iris,
Nec ſatis eſt diras tot ſubiiſſe vices?
Quin redeat Carolus, redeat redivivus ab ipſo
Funere, felicis more reſurgat avis.
Sydera grata micant, pelagi deferbuit ira,
O quàm ſunt faciles ad pia vota Dei!
En redit ad clavum Carolus, ſpes una ſalutis,
Halcyonésque jubet litora nota petant.
Aurea de cœlo redeant ut ſæcla precamur,
Inque ſuum barathrum triſtis Erinnys eat.

G. Griffith, A. M. Schol.
Perſianæ Præpoſitus.

In reditum CAROLI.

EXuta tandem lachrymas Britannia,
Totam teipſam convoca, &, quantum potes,
Effunde ſupplex Regis in amplexus tui;
Animúmque præſta gaudio tanto parem.
Rediit Britannum ſydus, Optatum caput,
Titus Angliæ, populíque deliciæ ſui,

Deſiderato

Desiderato Patre filius unicè
Desideratior, indubitata Caroli
Εἰκὼν Βασιλικὴ Quem decennalem exulem
Civile bellum, & militum armatus furor,
Populíque rabies expulit; hic (serò licèt)
Armis, (Prophetâ patre) domum reductus est
Ecclesiasticis, Deus haud unquam priùs
Majore teste numen asseruit suum.
Refellet Atheum sola Caroli salus,
Tot in periculis reservatum caput,
Toties petitum: quisquis hæret amplius,
Tutam revisat à Vigornio fugam,
Salvúmque Regem in consiliis muliebribus:
Stupesce lector, illius causam asserens
Quot arma, quantúmq; apparatum bellicum
Diflaverit vir unus! exigua manu,
Cruore nullo: O fata! quot nova lumina
Scintilla vicit syderis Aquilonici,
Omníq; grandius Epitheto monosyllabon?
Annalium veterum laborabit fides,
Et historia transibit in miraculum;
Qua mente nostra serus excipiet nepos
Transmissa, quæ vix nos videntes credimus?
Angustus animus gaudia non capit sua,
Monstrátque populum Principi tanto imparem;
Sed quò feror, quis me triumphantem impedit,
Animúmque subitus revocat errantem dolor?
Euge fatendum est, filio multum Anglia,
Aliquid Parenti debet.----
Sentiat adventum Nati, vocésque dolentis
Audiat Umbra pias, justo date thura sepulchro,
Et placate Caput, proavorum condite busto

Tanti

Tanti colla viri, tam ſacro à ſanguine terram
Purgate, atque unam ſparſis date manibus urnam.

S. Smythes, M. A. Coll. Trin. Soc.

In Auſpicatiſsimum Sereniſsimi Regis CAROLI *ſecundi ad ſuos reditum.*

ARripio calamum; dabit Exultatio verſum.
Abjicio calamum; carmina Muſa negat;
Muſa negat: ſed Apollo jubet, mihi Magnus Apollo
Carolus exoriens, omnia luce beans.
Morte petente Patrem, nativa repagula linguæ
Filius obſervans rumpit, & os aperit:
Ecce reviviſcit Patriæ Pater; anne ſilendum eſt?
Abſit turpe nefas! Muſáque muta canat.
Somniat Ecſtaticus nunc Anglus, Scotus, Hibernus, *Pſal.* 126. 1.
Atque in Parnaſſo ſomniat Alma Parens.
Obruta muneribus cœli jam pectore anhelo
Anglia vix ſpirat, nec ſua dona capit:
Sic in Monte Jovis periit Tarpeïa virgo;
Munus & hoc cœli, triſte quòd omen abeſt.
Ah quoties miſeri ſuſpiria fudimus ægra,
Flentes iratum per tria luſtra Deum.
Tum dira in noſtros fabricata eſt Machina muros,
Quæ petit & Myſtas una ruina ſacros.
Sed Numen profert nova Machina δαιμόνιον,
Quam fabricat *Monachus*, Martis & artis opus.
Macte eſto virtute tuâ Illuſtriſſime Miles,
Perge, age, Mirac'lis ſecula noſtra bea.
Sit *Carolo* currus, Ducibus ſpumantia fræna,
Pegaſus & Muſis, ſícque Triumphus eat.

Σωετρα Cantabrigiensia

In faustissimam ejus Inaugurationem.

NUper, ut in cunis, imbellis vagiit Infans
Lætitia in nostris animis: sed adulta lacertos
Nunc movet, & manicas indignabunda revellit,
Ut primùm *Caroli* frontem Diademate cinctam
Cernimus, & latè spargentem lumina vultum.
Protinus evigilat Gens trina, & somnia primæ
Lætitiæ fugiunt, sinceráque gaudia sentit.
Tristia non ultrà pia Numina vota fatigent:
Grata tamen maneant, nihil hæc nisi vota supersunt.

R. Boys, C.C.C. Soc.

QUis rerum instaurat faciem sol fulgidus? unde
Lætitiâ nobis corda repentè micant?
O salve rerum tu fœcundissimè mensis,
Floret ut auspiciis Anglica terra tuis!
Haud frustrà florum tu mater diceris, Anglis
Qui poteras veterem restituisse Rosam;
Qui Regum stirpem & ductos longo ordine ramos,
Stemmata qui veteris nobilitatis alis.
Quali splendescit vultu formosior annus!
Ut spes Granta Parens concipit Alma novas!
Qui modò penè metu belli glaciante rigebat,
Atque piger fragili constitit amne latex,
Musarum de fonte salit, ducítque choreas
Incipit & liquidis ludere Chamus aquis:
Exiguis gyris vortex numerosus oberrat
Ridentis faciem, ceu gelasinus, aquæ.
Omnia plaudunt læta: at in hanc quòd corda papyrum
Intima per calamum non liquefacta fluunt,

Tanta

Tanta quòd expediant nullæ mea gaudia voces;
Hoc unum, Princeps, hoc mihi, magne, dolet.

R. Chrichton, A. B. Trin. Coll. Soc.

QUalis purpuream ſparſurus ab æquore lucem
Phœbus anhelantes aureus urget equos,
Talis purpurea Tu majeſtate decorus
Rex auguſte, diem reddis ab oceano.
Cæſare venturo, viſuri ad littora paſſim
Hinc atq; hinc vulgi confluit unda frequens:
In mediam prodit multus certator arenam
Quis poterit primus καιρὸν ſonare ſuum.
Aſpice ut ingenti populus ruit agmine præceps
Hinc glomeratus & hinc! impatiénsq; moræ,
Ante diem, quò ſplendidior te pompa coronet,
Te cingit populi multa corona tui!
Quótque vides intendi oculos hinc indè, coronæ
Eſſe puta gemmas tot voluiſſe tuæ.
Auſter at unde procax mihi ſibilat! unde rebellis
Ventorum clangor? quid velit aura minax?
Audîeram? an luſit nimiùm me credulus error,
Iſtáque juſſit amor me timuiſſe meus.
Non erat is (Cæſar ter maxime) non erat Auſter,
In tua qui adverſo turbine vela ruit:
Solus erat populi, dum ſtaret in aggere ripæ
Fundens vota, frequens halitus ille tui:
Corporibúsve animas paulùm tellure relictis
Per mare in occurſum crede volâſſe Tuum.

Idem.

CRedam ego fortuito mortalia turbine volvi?
Fatorum potero jam dubitare fidem?

Ultima quum rerum toties discrimina adires,
Sæpe laboranti Dii timuere Tibi;
Te certè timuere pericula, Maxime Princeps,
Palluit ante Tuos mors tremebunda pedes.
Quà Tua navis iit, stravere silentia pontum,
Invasit tremulas & sacer horror aquas.
Fluctibus in mediis quæ surgit naufraga rupes,
Agnovit Regem tutior Ara suum.
Jam nil, Parca, queri fas, si non ante vacabat
Casibus infandis Angliæ adesse tuæ;
Jam scio quæ, trinæ, tenuit vos cura, sorores;
Cura diu nostri Principis una fuit:
Aurea jam tandem hæc evolvere secula fusis,
Vestra diu cura hæc, hic labor unus erat:
Quòd neglecta diu fluitabant omnia casu,
Causa amor & nostrî cura vel ipsa fuit.

Idem.

IN planctus resoluta graves, & mersa querelis,
Mactatum regale decus, legúmq; suarum
Subjectum imperio gladii jus omne cruenti
Fleverat infelix plus binis Anglia lustris.
Et jam victa malis, acríq; dolore fatiscens,
Et vitæ reputans, exoptatæq; salutis
Spem cunctam fati crudelis lege reciſam;
Quid lacero vestes, quid sparsis crinibus (inquit)
Ulteriùs ploro, lamentóq; utor inani?
Abrumpam incassum fusas lachrymásque, precésque,
Et condar propriis expiratura ruinis.
Dixerat, atq; animam languentem efflare parata est,

Semi-

Seminecésq; oculos æternâ claudere nocte:
Quum ſubitò leni Borealis murmure venti
Pauxilum ſuſpenſa ſtetit, talémque trementi
Cum ſtrepitu viſa eſt exaudiviſſe loquelam.
O Patria, O dulcis Tellus, atq; inclyta quondam;
At nunc ſacratâ rabie violata, profanis
Et vulgi manibus crudelis paſſa rapinas:
Erige dejectum rurſus caput, erige vultus;
Amandéntq; procul naſcentia gaudia curas
Mordaces, & qui præcordia terror adurit,
Aufugiat, cernes inopinâ ſorte reductum
Splendorem ſolio, Cathedræque, tyrannidis arctæ
Excuſſum ſervile jugum, populúmq; ſalute,
Florentes & pace tuas, quâ primitus urbes.
Sic tandem ſurges lapſu magè fortis ab alto:
Horrendæq; micans ſpiſsâ è caligine noctis
Emittet radios tua gloria nobiliores.
Audiit; &, fatum quis noſtrum pectore ferreo,
Quo poterant flecti cautes, & ſaxa moveri
Dura, quis illudit noſtros (ait illa) labores?
An perturbatæ objiciunt phantaſmata menti
Decepti ſenſus, & quòd verum eſſe cupirem,
Id verum eſſe reor? nam me, liventibus aſtris,
Nil ſperare jubet, tali fore ſorte beatam.
Vix priùs hæc gemebunda dedit, quàm laſſa reclusit
Lumina, pallentes & fractis viribus artus
Lethifer oppreſſit dolor ad vada nigra meantis.
Inſolito verùm mox experrecta tumultu
Hinc atq; hinc rutilum lucenti fornice cœlum,
Fumantiq; pyras ubi conſpexiſſet ovantes
Vulcano; & ſonitu crebrò perculſa frementem
Aera feſtivo plauſu, & modulamine dulci,

Tectáque, & audîsset resonantes Carole sylvas:
O sacrum, atq; potens ex infelicibus umbris
Nomen, & è tristi extinctum revocare sepulchro!
Non certè sunt hæc insomnia vana, nec (inquit)
Fallor imaginibus: credam ergó? credere fas est,
Quæq; meis oculis vidi, quæq; auribus hausi.
Amplectar reducem peregrinis Principem ab oris,
Qui solium regale Patris, longôq; capesset
Tempore solenni viduum diadema triumpho.
Jámq; nec in latis ô dives Iberia terris
Æmulor imperium, & dominantia sceptra tenenti,
Gallia nec vestro sublimi ingrata Monarchæ.
Me Proles Carolina beat, mihi jura tremenda
Rex dabit & neutri cedens, & major utroque;
Quíq; superstes erit mea gloria, morte revulsus
Lugubri mirac'lum olim venientibus annis.

R. Huckle, C.C. in Art. Bac.

In Auspicatissimum Exoptatissimúmq; CAROLI II Reditum, plausus & vota φιλοβασιλέως.

EUge triumphemus! peritura Britannia pridem,
Componat laceras jam rediviva comas.
Carole, si redeas, reddes Saturnia regna;
Si qua manent Anglos, aurea sec'la manent.
Maxima venturo debetur copia Regi;
Hinc caput inclinans te colit alma seges.
Terra micat crebris, crebris micat ignibus æther,
Fluctus exultant, & mare ritè salit.
Omnia submisso venerantur poplite Regem;
Obsequium spirant cætera, vente reflas?

Navis

Navis in adventu Carolino exultat, & ipſa
Hoſpite tam Celſo vela ſuperba tument.
Nè tenebras vereare, Britannia tota futura eſt
Unius adventu Cæſaris una Pharos.
Singula ſollicitis ſplendeſcent ignibus arva,
Sit licèt hoc Soli nil niſi ferre facem.
Regis imago nitet vel in ignibus, ipſa videtur
Æmula purpuream flamma referre togam.
Candida tranquillum promittunt lilia regnum
Adventante ſuo Principe, Car'le veni.
Mœſta priùs, jam læta vocat lyra, tympana grato
Cæſaris adventum murmure ſollicitant:
Alme veni, Rex alme veni, tibi buccina clangit,
Et polus ingeminat térque quaterq; veni.
Naſo nos Cromwelle tuo ſuſpendis, at iſtum
Ardenti Monachus forcipe corripuit:
Hinc nidore ſuo, ſatis & ſuffuſa pudore
Peſſima Cromwelli ſtirps caput occuluit.
Regibus exactis, heu quale Britannia monſtrum!
Cauda caput; ſuppar Africa tota dabit:
Sub duro ingemuit dudum Cuſtode Britannus
Libertatis, iô Carolus expediet.
O properes, properes, jam tota Britannia languet!
O mora longa tuos enecat Angligenas!
Sollicitis oculis vigilat pia turba, minutum
Principis aſpectum corripuiſſe juvat.
Agglomerat populus, portus cinguntur; ocellis
Hoc vereor nè Te Carole turba voret.
Plurima Cæſaream laſſabunt oſcula dextram;
O ſemel os noſtrum gratia tanta beet!
Ampla rogo, nimis ampla, pedes da, quilibet Anglus
Cæſare calcatam pronus adoret humum.

Guil. Nailor, Caio-Gonv. Soc. Sere-

Σωτηρια Cantabrigiensia

Sereniſsimi Potentiſsimiq; Regis CAROLI II. in Angliam Navigatio.

VEla vocant faciles Euri; retinacula ſolvunt
Impigri nautæ, lætis navalibus exit
Carolus auſpiciis, unóq; accedit in Illo
Quodcunq; integram poſſit præſtare ſalutem.
Jámq; tenent altum. Non unquam lætius æquor
Preſſit onus, potuí tve mari feliciùs îſſe.
Omnia fauſta juvant. Unda exultâſſe vehendo
Fertur, & antennis blandiri molliter æther;
Solus at invidit quoniam hic non dicitur Eurus,
Abſceſsítque cavo Zephyrus concluſus in antro.
Cærulei Rector pelagi, quo temperat iras,
Attollens trifidum mananti cuſpide ſceptrum
Sedibus excivit ſocios, plebémq; marinam.
Protinus emergunt; Tethys Nereïs eunti
Obvia gratatur claſſi, ducítque choreas
Nympharum; & circum labentem fuſa carinam eſt,
Agmen erant: miratæ omnes, avidæq; videndi
Territa quid tanto mugirent æquora plauſu,
Erexêre udo rorantia vertice terga.
Vela tument levibus ventis, pelagóq; potitur
CAROLUS ipſe ſuo, his ſolus Neptunus in undis,
Cui magìs egregium tria regna tulere tridentem.
Caſtigate moras venti; venientibus ultro
Jam patriæ propiùs dilectæ advolvimur oris.
I puer; aſcende; & ſiquid ſpectabile ſummo
Proſpice de malo -- video quod nubis ad inſtar
Neſcio quid ſummâ ſenſim ſeſe exerit undâ.
Nunc magìs albeſcit, nunc laxior explicat alas,
Fallor? an apparent undantes ſcandere fumi

Et

Et modò vicinæ longè discedere rupes,
Ardua terrarum. -- Patria est. En! conspicor arcem
Surgentem, dulcésq; Lares, dulcésq; Penates.
Excipiunt plausus. Operi jam gnaviter instat
Nauta suo: nec longa mora est; in margine terræ
Longè hominum facies extantiáq; ora videntur.
Tollitur his clamor, clamorem replicat echo,
Mutiplicátque sonum; confinia litora Regem
Ingeminant Carolum, patrias qui sospes ad aras
Constitit, & molli vestigia ponit arenâ.
Quia jam cunque viâ est, mirum prælibat amorem
Vultibus hærentis populi comitúmque suóque.
Votis hunc onerant, hunc multâ laude fatigant,
Delicias patriæ vocitant, patriæque salutem.
Anglia tota tua est, tellus Tibi serviet ingens
Unus ait, reliquis in voto convenit illo.
Annuit effatis vultúque hortatur amœno.
Tandem per varios ruris deductus honores
Certatim factos Londini ad mœnia pergit,
Moenia quæ magno trepidant concussa triumpho.
Hic Tibi securas optamus Maxime sedes
CAROLE, cui populo reddenti jura Britanno
Paremus prompti, & felicia cuncta precati
Sospite Te longam speramus ducere pacem.

J. Hutchinson, A. B. T. C. S.

In Serenissimi Regis CAROLI II,
è partibus transmarinis in Angliam
Navigationem.

QUem populi precibus, Procerum quem voce petebas
Anglia conspicias Regem, torquebere votis

Non ultrà dubiis, aderat qui mentibus olim,
Nunc famâ melior, magnâ spe major, ocellis
Totus adest; Britonum jam pax emissa per orbem
Ferrea belligeri compescit limina Jani;
Et velut Æneas terris jactatus & undis
Mœnia conspexit tandem promissa Lavini,
Optatas Britonum Carolus sic conspicit oras:
Quo Phœbo in nostro cœlo splendente vocemur
Nunc iterum *minimâ contenti nocte Britanni.*
Visa perexigui fluvii Rubiconis ad undas
A te (Cæsar) erat patriæ trepidantis imago,
Anglia sed magnos te conspiciente triumphos
Carole noster agit; spumas salis ære ruenti
Neptunum referunt tibi submisisse tridentem,
Qui potiùs tibi sorte datur tria regna regenti,
Insignísque tui fieri monumenta triumphi
Saxosi optabant scopuli, rupésque movebas
Voce tuâ, veluti citharâ Rhodopeius Orpheus
Olim saxa suâ; chonchas pictósque lapillos
Pontus habet, cupiens tibi (Carole magne) parare
Diverso lapidum distinctas igne coronas,
Non jam virgineo portenta sub inguine latrant,
Ad rapidos sed dura canes est Scylla locuta,
(Nuper ut Actæon) *Dominum cognoscite vestrum:*
Carole, multa fluant ideo fornacibus æra
Effigies ductura tuas, in pectore cujus
Illustri delubra tenet clementia sacra.
Pallantis jugulum Turno moriente piavit
Æneas, tu nulla petis neq; funera raptas,
Nec (velut Atridæ mortem perhibetur Orestes)
Ulciscêre patrem crudeli cæde peremptum:
Carole, sed citiùs glaciali Pelion Ossæ

Imponam,

Imponam, cumulos tantarum ſcribere rerum
Carmine quàm ſperem; mihi *nil niſi vota ſuperſunt.*
Romanas Aquilas lucis fulgore coruſco
Perſtringens, ſuperes ut (regni Phœbe Britanni)
Et laudes cantando tuas, tibi contrahat alas
Gallus, & erectas elato vertice criſtas.

R. Nevile, Coll. Regal. Socius.

Reditus CAROLI.

IN ſe verſa ſuis pluſquam civilibus armis
Anglia, multiplicis belli vexata labore
Cùm foret, & toto latè jactata profundo;
Cùm laſſata malis, & non ſecura futuri,
Nec minùs inſtabilis quàm quondam erratica Delos,
Nunc huc nunc illuc furiis ageretur iniquis;
Unius virtute viri firmata, receptam
Miratur, quam vix potuit ſperare, ſalutem.
O qui tunc plauſus & gaudia quanta fuêre!
Cùm dux victrici redimitus tempora lauro,
Londinum ingrederetur ovans, & priſtina jura,
Et libertatem patriæ oſtentaret avitam.
O qui tunc gemitus, ſuſpiria quanta viciſſim!
Cùm licuit juſto nimis indulgere dolori,
Inq; tuos cineres lacrymas, *Sanctiſſime Regum,*
Spargere, ſacrilegis infandâ cæde peremptî.
Æternâ facinus lateat ſub nocte pudendum,
Innocuam tanto infamet nè crimine gentem.
Hactenus ignoſcas, nec flere impune fuiſſet,
Jam tibi juſta palàm damus, officiiſq; ſupremis

Proſequimur, meritósque piis libamus honores
Manibus, & tantum ſceleri licuiſſe dolemus.
Sed tua funeſto, *Rex Auguſtiſsime*, luctu
Auſpicia inceſtare nefas, & gaudia feſta
Intempeſtivis interpellare querelis.
Nos juvat immiſcere choris, populíq; favere
Plauſibus & nomen *Caroli* ingeminare ſecundum.
Dexter ades Patribúsq; tuis plebíq; Britannæ;
In Patrium conſurge decus, ſoliúmq; capeſſe
Jure tuum, eximióſq; apices: Te ſanguinis ordo,
Imperiíq; capax animus, nomenq; paternum
Et meritum illuſtrant, Tibi conſona vota bonorum
Imperium dederant, ſi non & jura dediſſent:
Quippe tuos totidem titulos virtutibus æquas;
Et ſolus tanti menſuram nominis imples.
Sis bonus ô felíxq; veni: Scotus, Anglus, Hibernus
Concordi veſtris animo complexibus hærent,
Regalíq; caput meritum diademate cingunt,
Inq; humeros tria ſceptra tuos viduata reclinant:
Nobilitas, clerus, plebs officioſa, cohortes
Obſequiis certant; ſe omnis Tibi devovet ordo,
Próque ſalute tua ſupplex pia vota frequentat.
Dum Tu res Britonum moderaris & inſtruis, armis
Conſiliísq; regis, tranquillâ pace fruantur
Securæ gentes, & in otia tuta recedant:
Interea feſtis reſonent clamoribus urbes.
O te des facilem, faveas, populíque ſecundes
Vota *Pater*: faxis *Carolo* ut regnante triumphet
Alma ſalus niveis ad terram vecta quadrigis.
Scilicet hoc melius, ſed non tamen arma timemus,
Turba gravis paci ſi quæ vicina Caledon
Tentet, & infidus nimiúmq; rebellis Hibernus.

Civilis procul esto furor, quem fortè ciere
Nitetur malesana cohors, quam nulla coercet
Relligio, quibus omnis abest respectus honesti,
Eumenidum diro vexatis verbere, quique
Se vivis confusa velint terras, mare, cœlum.
At tu divino subnixus robore *Princeps*;
Viribus & multo stipatus amore bonorum,
Et virtute tua cœptis audacibus obstes.
Nos quocunq; vocas alacres properamus, & ipsis
Nutibus obsequimur, vix vocem & jussa moramur.
Te colimus, *Te* suspicimus, veneramur, amamus;
Quin summum assiduâ pro *Te* prece numen adimus,
Det superesse diu rebúsq; præesse Britannis.

J. W. T. C.

In exoptatiss. auspicatissimúmque serenissimi augustissimíque Regis CAROLI II *ad suos Britannos reditum.*

VInc'lis suis, carcerêque postquam filios
Solvit protervus Æolus, facto agmine
Ruêre, porta quà data, truces; horrido
Fremuêre murmure; concitâre turgidum
Mare; & coactis nubibus nigerrimis
Diem abstulêre rubentis & solis jubar:
Pelagóque turbido interim concreditur,
Tumidísque fluctibus datur ludibrium,
Et huc & illuc volvitur, vagáque agitur
Quassata laceráque nostra debilis ratis.
Remis latus nudum fuit, puppi excidit
Clavus, crepabat saucius celeri Africo

Malus, gemebat omnis antenna, fragilis
Durare nequiit æquor imperioſius
Carina, quin, nulla mora, jam fatiſceret
Et diſſiliret tota navis fabrica.
Etenim latrones omnium improbiſſimi
Quos vidit unquam Phœbus, aluítve uſpiam
Tellus, furore prorſus execrabili,
Audaciâ immani, ſcelere teterrimo
In media Palinurum ſuum æquora barbari
Jaciunt. repentè maximos maris Deos,
Reliquóſque ſuperos, inferos, medioxumos
Omnes ſibi infenſos habet, & iſtud nefas
Infame onuſta perditis vectoribus
Luit ratis miſella, Syrtéſq; incidit
In æſtuoſas, arduíſque alliditur
Scopulis, aquas bibit, & in undis mergitur.
Tandem procellæ jam remittere, leniùs
Spirare venti, poneréq; fluctus truces,
Æquora ſilere placida, fugeréq; tenebræ,
Redire ſol & noctis umbras pellere:
Et noſtra tandem fracta reficitur ratis,
Novis ſuperbit linteis, & ſplendidâ
Pompâ inſtruitur, Arabúmque ſupra & Indiæ
Omnes opes prædivites merces vehit;
Erepta quotquot ſunt, malis graviſſimis,
Beata rurſus facta liberáque ſuos
Jam læta portus appulit gratiſſimos,
Neque ampliùs iniquiſſimis prædonibus
Invita ſervit, aut miſera morem gerit;
Secura temnit fluctuum minas, neque
Timet furorem turbinum, nempe vehere
Auguſtiorem velit ea ſuum Cæſarem,

Carolum

Carolum ſuum demùm vehit, felix vehit
Terræ ſuperbæ gloriam, cœlorum opes,
Mortalium decus, hominem Divis parem,
Regúmque principem, ſuo ſimilem Patri;
Quid plura fruſtrà volo? nihil quicquam ſuprà,
Quæcunque tandem dixero, dici poteſt.
Et ille melior dum refulget Cynthius,
Non hyemi erit ſævæ, aut malæ nocti locus
Cœlo in Britannico, & quid ultrà poſcimus
Deos? quid ultrà poſtulamus ſupplices?
Quid ampliùs votis opus? miſerrimæ
Planéque gentis perditæ felicitas
Diu ſepulta è cineribus renaſcitur,
Gloriáque ſurgit, mortua diu, priſtina,
Et ſpiritus redit bonis, vitáque probis.
Proinde abite dira Furiarum cohors,
Citis quadrigis fugite, fugite celeribus
Rotis, repetite Tartara & nigrum Chaos,
Pede inſolente proruiſtis omnia
Diu nimis; fugite etiam, fugite ilicò
Condigna vobis in loca, loca peſſima
Fallaciæ, technæ, doli, & fraudes vafræ,
Vóſque ſimulata ſanctitas, hypocriſis
Larvata, fictáque pietas, levis fides,
Perjuriúmque, immanitas, nequitiáque,
Avaritia, crudelitas, ira impotens,
Spolia, rapinæ, injuriæ, ſacrilegia,
Contentiones, factiones, ſchiſmata,
Phreneſis inſana, hæreſis, blaſphemia,
Et omne ſcelus audax, nefas omne impium.
Et vos fugite, gemitus, dolores, lachrymæ,
Gravéſque luctus, mœſtitia, ſuſpiria,

Planctus,

Planctus, querelæ, curáque, metúsque anxii;
Hîc neutiquam vobis morandi erit locus.
At vos redite, quæſumus, diu exules,
Aſtræa venia citò, rogamus idem Themin
Jovis ſororem facere, de vobis quoque,
Neq; vana ſit ſpes noſtra, idem promittimus.
Vos volo, fides immota, firma foedera,
Aperta verba, lingua fallere neſcia,
Pectúsque ſimplex & ſibi bene conſcium,
Integritas vitæ, ſine dolo veritas,
Sine ſcelere probitas, & innocentia
Sine labe ſordida, ſine macula nigra
Mores honeſti, ſinéque fuco adultero
Sincera pietas, alma virtus, æquitas,
Mens ſobria, merita numinis reverentia,
Bonæque leges, jura ſacra, juſtitiáque,
Benignitas, clementia, miſericordia,
Bona charitas, munifica liberalitas,
Probum, aut decorum quicquid, aut optabile.
Et te vocamus cum tuis ſororibus,
Dulciſſima Thalia, O decus dulce Charitum:
Et lætiores, inter Aonidas deas,
Quotquot ſoletis eſſe, quotquot & eritis
Huc advolate citò, & ſimul blandas fides,
Suaves lyras, & ſuaviores tibias
Afferte, quin & hilariores fiſtulas:
Vobis & opus erit, triumphi, gaudia,
Magnifica pompa, læta gratulatio,
Feliciora auſpicia, fauſtáque omina,
Lætitia, riſus, hilaritas, amoenitas,
Luſus, joci, lepidi ſales, facetiæ:
Huc advolate pueri, adeſte puellulæ,

Venite

Venite coelibes, venite conjuges,
Sponſi, procíq;, virginésque amabiles,
Nuptæque foeminæ, parentes, filii,
Venite divites, venite pauperes,
Senatus, eques, & denſa plebis agmina,
Venite juvenes quotquot hilarioribus
Floretis annis, quotquot annis obſiti
Capitéq; cani eſtis lepidiores ſenes,
Sive incolitis Apollim patri ſacra
Muſisq; loca, ſive in ſeverioribus
Agitis Lyceis, ſeu negotiamini
In oppidis, ſeu rure vitam degitis;
Tripudiet ætas omnis, omnes ordines
Lætos choros agant, canant lætos modos.
Venit cupita, diu cupita, illa optima,
Fauſtiſſimáque, beata, proſperáq; dies.
Sec'li dies prima redeuntis Aurei,
Natalis omnis fauſtitatis optimæ.
Natalis omnis Angliæ lætiſsimæ:
Rediêre deliciæ hodie, & noſtrum decus,
Spes una, amor, vita, & ſalus; parùm abfuit
Quin dixeram, rediit Deus; ſed quippini
Ità mihi dicere liceat? rediit enim
Ter optumúſque maxumúſque Carolus:
Io triumphe! Io triumphe! perſonat
Gens, læta ſiqua unquam fuit, lætiſſima,
Populus fremit lætitiâ, & inopinabili
Geſtire gaudet gaudio, impatiens ſui:
Lætitiáque iſta nimia, ſiqua eſſe nimia
Unquam poteſt, anguſtiorum pectorum
Repentè clauſtra rumperet, mirabili
Exire faciens impotentes ecſtaſi

Animas, solutæ fortè liberiùs suo
Ut exilirent gaudio integerrimo;
Nisi quòd nefas foret, impiáque vecordia,
Lucem videre nolle, nolle vivere,
Cùm jam nitent soles meliùs, & incipit
Vitalis esse vita modò miserrima,
Et quasi juventute revirescens redditâ
Inter beatas Insulas, jure optimo,
In posterum censenda sit Britannia:
Siquidem vacua curis, metúque libera,
Oblitáque ruinas, gravésq; miserias,
Ovat, triumphat, exilit miris modis,
Summâ benigni Numinis clementiâ
Reducem videns, & sospitem sibi redditum
Ter optumúmq; maxumúmq; Carolum.

Joh. Boult, C. G. C. Soc.

Illustrissimo Domino GEORGIO MONK,
Regis Restitutori, Regni Liberatori.

NEc meritis ingrata tuis, quo vindice spirat,
Et canit, & reducem Carolum, sua gaudia, spectat,
Musa tuum nomen reticebit, magne Georgi:
Quanquam argumenti nimio sub pondere tanti
Succumbat, vestrisq; accedat victa triumphis;
Inque tuas laudes vano conamine surgat.
Cui triplicis frontem decorant insignia lauri,
Non uno decerpta solo. Te perfida belli
Victorem, pacísque auctorem sensit Ierne,
Inclita crescenti tribuens præludia famæ.

Indocilis

Indocilis parere, feros agitare tumultus,
Vix Reges tolerare ſuos, juſsísque reniti
Pridem ſueta, jugum didicit perferre Caledon,
Conſiliis edocta tuis, & fortibus armis;
Nec rigidus dominos ut pungat *Carduus* Anglos,
Exemit ſpinas virtus tua: mollibus indè
Imperiis quoque corda domas, conjungis amorem
Cum terrore tui, & cogis ſervire volentes.
Tum fines arctos, incluſas æquore terras,
Imperiúmque unum temnens, unúmque elementum,
Vela dat, & liquidos peragrat tua gloria campos;
Et fluxis infigit aquis non fluxa tropæa.
Terreſtres lauros navalis ſerta coronæ
Excipiunt, Batavis præfulgent tempora roſtris.
Indomitam gentem, ſalſæq; paludis alumnam
Linquere natales undas, ſubitámque precari
Veſtra coegerunt invitos fulmina pacem;
Veſtra decus regnúmque maris victoria nobis
Reddidit, indulſit victis orata ſecundum
Pax, te dante, locum. Quæ te nunc altera, Monke,
Laus manet, aut cumulo perfecti accedat honoris:
Poſt terras undásque Manu victrice ſubactas,
Quod ſupereſt, quo decertet tua fama, theatrum!
En delubra Deûm pecus incolit, hymnus equini
Perſonat hinnitûs, galeatus ſacra miniſtrat
Myſtes, ſtercoreo redolent altaria thure!
Ecce forum claudunt armatæ triſte cohortes,
Vocem efferre tubæ, legésque ſilere jubentur;
Curia deſeritur ſenſim nudata; ſupremum
Nunc caput abſcindunt, tum nobiliora recidunt
Membra, ſtatim expurgant palpantia viſcera, tandem
Vix inſecta manet mutilati cauda ſenatûs,

Denique, nè tanto quicquam de corpore reſtet,
Cogitur hæc reptare foràs: nocet omnis honeſti
Ficta licèt ſpecies; vacuum Bellona fugatæ
Juſtitiæ captat ſolium; jus dicitur enſe,
Vel juris rapiens ſcelerata licentia nomen;
Proſcribunt, ſpoliant, mactant impunè nocentes,
Quilibet eſt ſine lege reus, pro lege rebellis.
Te pietas aris, Aſtræa focis, violatà
Majeſtas ſceptris, Libertas pulſa patronum
Omnibus implorat; clamantibus ore benigno
Annuis, ac operâ præſtas felice ſalutem.
Catholico varias coeuntes agmine ſectas,
Queis delere ſacerdotes, evertere templa,
Exhaurire ſacros reditus, & tollere leges
Unica diſcordes animos ſententia vinxit,
Diſtrahis; en profugi divellitur unio fallax
Schiſmatis, in partes ruptâ compage feruntur.
Hos ut ſint verè *tremuli*, præcordia ſolo
Inſpirante metu, facis; illos altera Regna
Spectantes ſummo jamjam labentia cœlo;
E terris videant pro *Quinto Rege ſecundum*.
Baptiſtáſque novos, quâ ſe demergere poſſint,
Inſula, carcer aquæ, liquido munimine ſepit.
Quos non contendens acie, nec ſanguine fuſo
Debellas, nimium eſt illis impendere cladem;
Sufficit oſtentare minas, quòd diceris hoſtis,
Non opus eſt armis, ubi pugnat fama tremendi
Nominis, accipiénſque vicem prudentia ferri,
Nectere docta moras temeraria cœpta recuſans,
Opportuna ſequens, miſcens virtutibus artes;
Intima non proferre ſuo niſi tempore ſenſa,
Adverſóſq; perita ſuis conſtringere nodis.

Sic

Sic velut exanimes umbras, aut ludicra ſpectra,
Immenſas acies gladii ſplendore coruſci,
Non ictu ſternis; larvas probitatis iniquæ
Detegis; immodicâ mentes pietate ſceleſtas
Corrigis, illuſtras nimio præ lumine cœcas,
Cúmque ſuis tergis animos verſos dare cogis.
Militiæ juſtæ te primum bella magiſtrum
Agnoſcunt; parere togæ, pacémque tueri
Arma doces, ſævos ſubmittis faſcibus enſes,
Ut tremat armatus ſub judice miles inermi.
Oſtendis quàm non generoſum pectus inani
Ambitione tumet; quàm magna potentia magno
Eſt animo minor, inflantem dum turgida vela
Fortunam probitate regis, vim jure coerces;
Nec quantus potes, es; quódque, es, non dicier optas,
Protector patriæ; tibi debita gloria cedat,
Aſſumant titulum, qui non meruêre, Tyranni.
Non te furtivis plumis attollis in altum
Degener, aut falſis humeris aliena coruſcat
Purpura, quæ mentem rubeat geſtantis iniquam.
Quam non dedeceant, aptas diademata fronti;
Das juſtis manibus ſceptrum, queis jura dederunt,
Naſcendi, ſors & ſeries illuſtris avorum,
Nec minùs excellens generoſo ſanguine virtus;
Et cui te nunquam domino ſervire pudebit.
Hoc unum querimur, quem das, ſimul abripis illum;
Ut vix ſit noſter Rex, totus veſter; & ipſi
Quod tribuis regnum, meritis ingentibus aufers.
Tu niſi nutantem validis cervicibus axem
Anglicus Alcides, cùm ſe ſubduxerat Atlas,
Fulcîſſes, noſtri cecidiſſet Regia cœli,
Preſſiſsétque gravi terras delapſa ruinâ,

Tu deturbâſti, per vim fraudésque nefandas
Terrigenas aulæ regimen cœleſtis adeptos,
Sacrilegísque diu vibrantes fulmina dextris
Non ſua, reſtituens ſuperis extorribus arces
Sydereas, pulsóque Jovi regalia ſceptra.
Multorum capitum fœcundam veſtra ſubegit
Dextra, renaſcentem toties à mortibus, hydram
Supremo interitu, nè linguâ terreat anguis
Multifidâ poſthac, vel ſibila peſtifer edat.
Incubuit miſeris nova portentoſa Chimæra,
Publica-res, privans libertatem, bona, nummos;
Cui torvi facies arſit truculenta leonis,
Plebiſcita vomens rugitibus ignea ſævis:
Laſcivam tumido referens abdomine capram,
Ambitione ſalax, tetrâque libidine lucri;
Immaníſque feri, ſuberat cui cauda Draconis,
Iris, ac odiis, & viro decolor atro.
Bellerophon noſter, noſtérque Georgius illam
Sanctior, invictæ domuiſti viribus haſtæ;
Hiſtoriæ committatur ſi fabula veſtræ,
Plura ſub aſpectus noſtros ſe monſtra tulerunt,
Victa tibi, quàm dicta illi; nec fingitur ullus,
Quo tu non major fueris, ut verior, Heros.
Immortale decus ſec'li, fortiſſime vindex
Juſtitiæ, ſimul imperii fidiſſima norma
Obſequiíque; Stator regni divine ruentis,
Vive diu patriæ charus, patriæque parenti;
Sit tibi promeriti diuturnus fructus honoris;
Vitam virtuti prolixam, laudibus annos
Exæqua, tumulo ſcribatur, *MILES HONESTUS.*

F. B. T. C. S.

In

ad Carolum II *reducem.*

In Sereniſsimi Regis CAROLI II *reditum, & auſpicatiſsimam inaugurationem.*

OEbalii Fratres micuêre, Celeuſmata, Nautæ,
Læta petant coelos, Zephyris date vela ſecundis.
Regia jam ſoboles oritur, nova ſidera Plauſtro
Juncta vigent, nullis poſthac temeranda tenebris.
Votivas demum tabulas appendite; Puppis
Naufraga jam ridet ſyrtes & inhoſpita ſaxa,
Immanis Scyllæque minas iráſque Charybdis.
Noſtra diu variis infamia littora monſtris
Halcyones viſêre; procul procul eſte profana
Turba procellarum, nos jam tranquilla manebunt
Æquora; cum Carolo rediit par nobile Fratrum,
Deliciæ populi, patriæ ſpes, pignora Coeli
Aurea collapſis reddentis ſec'la Britannis.
Quo vos excipiam, Gratiſſima Numina, cultu?
Non mihi ſunt Tyrio rutilantes murice veſtes,
Non gemmæ radiis laſcivæ; curta ſuppellex
Regia dona negat; nunquam mea rura miſella
Lydius auratâ ſubiit Pactolus arenâ.
At mihi diſparibus compacta eſt fiſtula nodis;
Quâ quondam, tenui modulantem carmine Muſis
Invitis, memini me plures condere ſoles:
Pan ovium cuſtos noſtris tum vixit in agris;
Audiit Arcadiæque decus formoſa Amaryllis.
Hâc ego jam Magni Panis crudelia fata
Paſtorúmque canam luctus, Amaryllidos ignes
Fatales plangam: reducem dein ore rotundo
Pana canam; Pan curat oves, oviúmque Magiſtros.
Pan mihi ſolus eris, Rex Clementiſſime, coeptis
Aſpirato meis: vectigal pauperis horti

Accipias

Accipias placido vultu; Præconia nulla
Digna Tui meditor, ſed (ut olim Pſittacus ille)
Lætum Cæſareis adjungam χαῖρε triumphis.
Ah quoties maduêre genæ! Præcordia leſſus
Furtivos quoties fundunt! ut viſcera turgent
Innocui Patris recolo dum triſtia fata!
Occidit, heu! Carolus; Sol occidit; exulat Orbe
Alma Venus, calléſq; novos præruptáque ſaxa
Mœſta premens, maculis obducta eſt; Regia Conſors
In Clauſtris latitans queritur mala fata Mariti,
Sidera tum Cœli noſtri Majora videres
Veſtibus occaſum Caroli lugentia pullis;
Queí ſque priùs trames certus Luménq; ſerenum,
Sunt ſphæris evulſa ſuis, aut facta Planetæ,
At ſine luce, ſuâ careat cùm Phoebus Apollo.
Occidit, heu! Carolus; Sol occidit, Anglia nox eſt,
Ægypti tenebras hîc palpes; Tartarus, exul
Sedibus antiquis, noſtras tunc appulit oras.
Ecce canes Stygii latrant, ranæque coaxant,
Garrula gens, Acherontis amor; fit Janitor Aulæ
Cerberus, Imperii Cuſtos, pallatia Regis
Ingreditur: Diadema parant, nec reſpuit offam;
Strenuus inſultat; flammas nunc ore trifauci
Evibrat: latuiſſe putes Phlegethonta vel Ætnam
Viſceribus, vultúque erumpit torridus ignis.
Occupat attonitos Anglos Pia turba ſororum,
Stirps nova, quas *Furias* quondam dixêre profana
Secula, nunc titulo gaudent meliore Dearum.
Diſtorto reliquas præcedit *Hypocryſis* ore,
Nunc lachrymis riguos tollens ad ſidera vultus.
Numina nunc gracili ſed fictâ voce laceſſens.
Cui comites ſunt vana fides, audacia, zelus,

Im-

Improbus ille puer quem mater *Hypocriſis* olim
Terrarum Dominum fertur ſperâſſe futurum:
Hunc ambit petulans virgo *Devotio*, longum
Syrma trahens fraudum, quas vir pro dote recepit:
Enthea cum laſciva venit, prognata *Phreneſi*;
Hæreſis, Hydra nocens, ſequitur, *Blaſphemia* diris
Proſcindit ſuperos, nigrum dátque ore venenum.
Occidit heu! Carolus, ſitque Anglia Lerna malorum.
Quis Deus Alcides nobis? Erit Hercule major
Hydræ peſtiferæ domitor: Quis Perſëus audet
Gorgoneas ſimul enſe laceſſere mille Meduſas?
At triſtes jam mitte modos: nos læta reviſunt
Tempora; ſpes miſeris: En Divus Georgius adſtat
Angligenis: non ille timet vel mille Meduſas;
Hydrarum turmas aſpectu conficit Heros
Indomitus: tenebras hic noſtras diſpulit atras,
Filius Auroræ felicis, nuncius Anglis
Sydereus, Carolo redeunti Phoſphorus almus.
Sol oritur, Carolus prodit; petat æthera plauſus,
Hæc reboent, ſummi penetrétq; cacumen Olympi.
Parcite jam lachrymas, vultus dedit ille ſerenos.
Julius occubuit? Nec erit Pia Roma ſuperſtes:
At bona verba; tenes Tu ſceptrum, Cæſaris ultor;
Auguſto major plaudat tua Roma ſuperſtes:
Occubuit Carolus? Lethali vulnere languet
Anglia: ſed Carolus vivit; ſimul Anglia vivit.
Occidit imperii Phœnix: & funere eodem
Gloria noſtra perit: tandemque renaſcitur alter,
Gloria noſtra redit: Phœnix virtutibus audis,
Carole, ſis annis etiam; ſic Arabas Angli
Felices ſuperent: illis bis vernat in anno
Lætus ager; nobis tu duces perpetuum ver.

Gratulor hinc Anglis Carolum, Carolóq; Britannos
Non magis eſt regno Carolus, quàm Rege beata
Anglia: dumq; alios decorant diademata Regis,
Gloria tu ſplendórq; tuo, Diadema coronas.
Excipiet quo Te tua læta Britannia cultu:
Imperii rebus ſtator libentibus audit
Carolus; auguſtas hinc olim condidit ædes
Roma Jovi: Tibi ſit tua magna Britannia ſacra,
Audiat hæc templum Carolinum; numine veſtro
Haſce diu foveas ædes, quas fata dedêre.
Cùmque novo coelos exornes ſydere, Soli
Ancillans, Carolo Patri, (qui lumine Divos
Offuſcat reliquos, ignes ut Luna minores)
Sis bonus oh felíxque tuis: Tua regna benignis
Aſpicias radiis, bigis niveíſque reviſas;
Sic populus pia thura dabit; Tu ſuſcipe vota.

Joh. Felton, C. C. C. S.

In glorioſiſsimum Monarcham & Martyrem, CAROLUM, *ejus nominis primum, Magnæ* Britanniæ, Franciæ, & Hiberniæ Regem, *fidei* (*vitâ & morte*) *Defenſorem.*

CAROLE MAGNE *vige: tu nunc eris alter ab illo,*
GALLIA *quem* CAROLI *decoravit nemine* MAGNI.
Ex tripode hæc * olim puero mihi fudit *Apollo*,
Cùm cecini thalamos, *Carole Magne*, tuos.
Infans Muſa licèt, tamen eſt præſaga futuri;
Crede mihi, vates enthea turba ſumus.
Quis te *Carole*, neget, merito & cognomine *Magnum*,
Cui necis & vitæ cognita fama tuæ?

* *Epithal. Caroli Regis, &c. anno* 1625.

Omnia

Omnia *magna* tibi dederant hominéſq; Deúſque,
Magnus & à populis undiq; crevit honos.
Contulit at ſummos tibi turba rebellis honores,
Quo cœlum peteres, cùm tibi pegma dedit.
Nil tibi, quo *major* fieres, dare vita valebat:
Reſtabat tantùm pro pietate mori.
Imperio *Magnus*, *Major* virtute fuiſti,
Maximus ut fieres, *Carole*, Martyr eras.

In auſpicatiſsimam Dni Georgii Monachi è Scotia *in* Angliam *expeditionem, Sereniſsimi Regis noſtri*, CAROLI II, *gratiâ ſuſceptam.*

ECce Aquilonari *Carolinum* è climate currum
Scandentem cœlos, *Anglia* læta, tuos!
Quàm nos dicta ſenum, vetera & ludibria fallunt!
Omne *bonum* nobis *ex Aquilone* venit.
Emicat ante alios, currûs auriga Bootes,
Georgius, haud falſi nominis omen habens.
Non ſolus, quanquam at *Monachus*, tamen agmine fido
Stipatus, Divûm & numine, victor ovat.
Adde quôd innumeris (non vincunt corda tyranni)
Cordibus *Anglorum* concomitatus adeſt.
Ergò omnes, quos non afflaverat entheus error,
Attrahit, & nacta eſt *Anglia* tota Ducem.
Quanquam & ſæva ſuos modò *lamberet* urſa catellos
Spem ſimulant cauſæ gens maleſana ſuæ.
At bis capta fera eſt; fanatica turba *tremiſcit:*
Pax cum Rege redit, cúmq; ſalute fides.

Aliud in eundem GEORGIUM, *fortiſſimum juxtà & fortunatiſſimum* Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ *Archiſtrategum.*

VIrgo expôſta neci fuit *Anglia*; cauda Senatûs
Eclipſin minitans, cauda Draconis erat.
Georgius alter adeſt, Democraticúmque Draconem
Rumpit, & incolumis Regia Virgo manet.
Macte tuâ virtute eſto, ter maxime *Georgi*,
Dulce decus patriæ, præſidiúmque tuæ.
Te tutelarem meritò colit *Anglia* Sanctum,
Patronum & celebrat gens rediviva ſuum.

In exoptatiſſimum Regis noſtri CAROLI II, *Sereniſſimi, Potentiſſimique* Britanniarum *Monarchæ, in Angliam reditum, Carmen* Θειαμβευτικόν.

SCilicet aſſiduâ victus prece ceſſit Olympus:
Sic viſum Superis, nec noſtræ Numina gentis
Invidiam potuêre pati: Quot ſtruximus aras
Angligenæ! & quantis laſſavimus æthera votis,
Carolus ut redeat! Rediit: Quid pergere porrò,
Muſa, paras fruſtrà, & vanas ſuperaddere voces?
Carolus en rediit, rediit Rex *Carolus:* iſtud
Sæpiùs ingemina, ſatis eſt, ſunt cætera nugæ;
Quærere plus ultrà, majeſtas læſa vocetur.
At non Muſa tamen docilis dare fræna triumpho,
Nec ſervare modum CAROLO ſublata ſecundo,
Parcere nec pedibus, peragit cùm læta choreas
Anglia tota ſuas, & plauſibus omnia complet.
Quin remoræ impatiens ruit, & velut aggere rupto

Fertur

Fertur ovans æstu, & pleno cita volvitur alveo,
Nescia tam angusto concludere carmina rivo.
Quare age, *Calliope*, quia luxuriare voluptas
Tanta animo, *furere* & *dulce est* tibi Rege *recepto*,
Lætitiæ causas aperi, fontésque reclude,
Argumentum ingens, primâque ab origine pande.
Toto nunc Helicone frui, Permessíde totâ
Fas erit, & lato diffundere gaudia campo.
Incipiat nostras *Vigornia* clara camœnas,
Quà malè compositas infido fœdere turmas,
Scotigenúmque acies fudit *Cromwellius* audax,
Serò nimis Regem, *Carolináque* castra sequentes.
Sic erat in fatis: nec enim sat digna *Caledon*
Visa Deis, plagæ, quam inflixerat ipsa, mederi,
Vel nobis *Carolum*, *Carolo* vel reddere sceptrum,
Et decus antiquum, aut tantas reparare ruinas.
Nempe alii hic servatus honos, & gloria Regis
Restituendi ingens, *Monacho* hæc laus debita soli.
Postquam ergò fugêre acies, *Carolúsque* relictus,
Exutúsque suis, heu quantâ indagine cinctus,
Víque rebellantûm! (*Getulum* ut quando leonem
Turba canum cingit, ruit is per tela, per hostes)
Attamen evasit; tantum valet inclyta virtus,
Et Superûm favor, & miranda potentia cœli.
Sic pius *Æneas* media inter funera *Trojæ*
Myrmidonas, *Dolopásque* truces effugit *Ulyssei*.
Avia mox uno peragrat comitatus *Achate*,
Et *per opaca locorum* ad fida mapalia tendit,
Mox se (ô quàm *hæc meminisse juvat!*) mediâ arbore condit,
Hóspes *Hamadryadum*, quæritque in fronde latebras.
Quis neget ergò homines truncis & robore natos?
Ecce utero unius jam tota *Britania* quercûs

Geſtatur, populósque & gentes parturit arbos,
Quæ Regem fovet, & dias in luminis auras
Enixa eſt, omnéſque ſuo cum Rege *Britannos*.
Crediderim plantam hanc *Dodonæ* è ſtirpe creatam,
Unde Pater Divûm tam clara oracula fudit,
Et tam fauſta tulit *Carolo* præſagia, pulchræ
Certa ſpei documenta. I nunc, lymphatica turba,
Perfida gens, curámque neges hunc eſſe Deorum,
Regia cui quercus, melioris præſcia fati,
Proſpera ſigna dedit, redituríque omina ſceptri:
Quem medias inter ſtrages, mortéſq; ſuorum
Tam miris tutata modis clementia Divûm
Reddidit incolumem, ſolióque locavit avito:
Quem poſt mille moras, poſt mille pericula ſalvum
Sors tulit, & rebus ſervârunt aſtra ſecundis,
Reſtituítque ſuis melior fortuna *Britannis*
Virbium, & ex ipſis ereptum faucibus Orci.
Quid memorem fictóſq; habitus, crinéſq; reſectos,
Femineóſq; dolos, famulum cùm nacta Monarcham
Diſſimulans falsâ celavit imagine virgo,
Et dum ſervili Regem velavit amictu,
Fraude piâ *varios mentita* eſt Lana *colores*?
Macta tuo famulo ſis, ô divina Virago;
Felix, quæ tanto poteras comitata miniſtro
Carpere iter, cùm tota *Britannia* ſcilicet uno,
Túq; ſimul vehereris equo: quàm grande Deorum
Depoſitum ſervas! hominum quot millia curæ,
Quot fidei commiſſa tuæ! Clariſſima Virgo,
Poſt tria Regna ſedes; equiti hoc tibi contigit uni.
Dum verò egregius divertit nocte viator,
Sic ſervum ſimulans, vix hoſpes ab hoſpite tutus:
Quàm propè dextra rudis, verubúsq; inſueta regundis

Detraxit

Detraxit larvam Regi, ſcenámque retexit
Vile miniſterium, malè geſtáque cura culinæ!
Singula quid referam, quæ pertulit ardua Princeps,
Exul in orbe ſuo, variiſque erroribus actus,
In patria patriam fugiens, fugiénſque rebelles?
Donec vi Superûm raptus vel ab ore lupino
(*Anglia* nam (mirum!) regio jam facta luporum eſt,
Antè his haud aſſueta feris) evaſit in altum,
Et mare, quanquam immane, ſuis jam mitius *Anglis*
Trajecit profugus, peregrináque littora venit.
Indè, per innumeros terræ pelagíque labores,
Póſtque decennales *Britonum*, illo abſente, ruinas,
Et furias populi ſine Rege & Lege relicti,
Huc remeans hominum ſtudiis, & numine Divûm
Vela dedit, noſtris tumuerunt carbaſa votis;
Appulit & *Dubrin*, (pia tura parate, *Britanni*,
Tura parate omnes) patriâque potitus arenâ
Salvus in *Angliacas* rediit Rex *Carolus*, oras,
* Natalíque ſuo *Trinobantidos* attigit arces. * *Maii* 29.
Quantus Io Pæan; quâ pompâ intraverit urbem,
Qui plauſus, quot ubiq; pyris fulsêre plateæ,
Muſa, referre paras? age, dic quot ſidera cœli.
Quis Genium illius, quis Gaudia, Vota diei
Explicet? aut poſſit numeris æquare triumphos?
Quorum autopta fui, (vocésque his auribus hauſi)
Queis, puto, nulla dies ſimiles, vidítve ſecundos.
Salve, feſta dies, niveo ſignanda lapillo,
Æternùm inſcribi noſtris digniſſima faſtis:
Ter ſalve, lux alma, ſerena, ſecunda, ſecundi
Prima iterum *Caroli*, nec tantùm Principis hujus,
Gentis at *Angliacæ* meritò natalis habenda;
Quæ cum Rege ſuo modò functa, extorris, & exul,
Jam cum Rege ſuo tandem rediviva reſurgit.

ΣΩ̃ΣΤΡΑ *Cantabrigiensia*

Αἴνιγμα Ἐπιλογικόν.

Ἐκ Σκοτίης φάος ἦν Μοναχὸς, τάχα δ' ἦλθε Μόναρχος,
Ὃν πρὶν ἔσωσαν ὁμοῦ Παρθένος ἠδὲ Θεός.

Ad REGEM
Anagramma Epiphonematicum.

{CAROLUS STUART.
{AT TU ROS CLARUS.}

Vel (det modò veniam Lector *Lambdacismo*, seu *Traulismo Alcibiadeo*, L pro R) SOL CLARUS.

ANte tuum reditum, Princeps, heu! quanta malorum
Ilias, & nubes, & nox horrenda *Britannis*
Incubuit, Clero inprimis, Gentíque togatæ!
AT TU ROS CLARUS nocturnas discutis umbras,
Manè novo cum Sole micans, pulsísque tenebris
Languentem recreas geneali sidere terram:
SOL, an ROS? an uterq;? *Hinc lucem & pocula sacra*,
Et Musas, vitámque Tibi, ter Maxime Regum,
Acceptam *Alma* refert *Mater*, suáque omnia debet,
Téque suum agnoscit *Grantana* Academia *Phœbum*.
Hinc tibi ΣΩ̃ΣΤΡΑ damus, qui pro Te ΣΩ̃ΣΤΡΑ vovemus,
Quòd Tu, Rex, nobis, tibi quòd Deus ipse *salutem*
Reddiderit. *Pylios* idem Te *servet* in annos.

Jacob. Duport, S. T. B. Coll. Trin. Soc. Sen.

BRITISH MUSEUM

FINIS.